MASTER

NEGATIVE

NO. 91-80150-4

AUTHOR:

WOLFF, GOTTFRIED AUGUST BENEDICT

TITLE:

DE CANTICIS IN ROMANORUM FABULIS...

PLACE:

HALAE

DATE:

[1824]

Master Negative #

91-80150-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

870.121
W83 Wolff, Gottfried August Benedict,
De canticis in Romanorum fabulis scenicis; memoriam anniversariam...Scholae provincialis Portensis...1824 pie celebrandam indicit et...invitat M. Godofredus Augustus Benedictus Wolff... Halae, typis expressum Gebauerianis, [1824].
50 p. 24 cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 7/25/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Wolffe Scaenici

E. Muller

DE CANTICIS
IN
ROMANORUM FABULIS SCENICIS.

MEMORIAM ANNIVERSARIAM
INAUGURATAE ANTE HOS CCLXXXI ANNOS
SCHOLAE PROVINCIALIS PORTENSIS
A. D. I. NOVEMBR. MDCCCXXIV
PIE CELEBRANDAM

INDICIT

ET

AD RECITATIONES ET ORATIONES DISCIPULORUM EX OMNIBUS CLASSIBUS ELECTORUM AUDIENDAS

INVITAT

M. GODOFREDUS AUGUSTUS BENEDICTUS WOLFF
PROFESSOR ET SOCIET. LAT. JEN. SOD. HONOR.

HALAE
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIANIS.

1824.

In libello, quem *de actibus et scenis apud Plautum et Terentium* Gubenae apud Lusatos adhuc commorans anno MDCCCXIII scripsi, de canticis Plauti et Terentii, occasione data, disserere me velle professus sum, ad rem excitatus verbis Hermanni, Viri Illustrissimi, quem praeceptorem mihi fuisse gratissimo animo recordor et in summa felicitatis meae parte repono. Ille Vir doctissimus in dissertatione, quam anno MDCCCXI *de cantico in Romanorum fabulis scenicis* edidit; pagina X. lin. 17 — 20 monet, operae pretium esse facturum, qui cantica in Terentii Plautique fabulis a diverbiis distingueret. Itaque quod olim promisi, nunc facere conatus sum: cantica propono in Plauto et Terentio, uti mihi quidem visum est, investigata, persuasum mihi habens, ad rem scenicam Romanorum accuratius perspiciendam me collaturum, modo ex parte, quod volui, mihi successerit. Nam si dramata etiam Graecorum, tam tragica, quam comica, ne nunc quidem, cum ad eorum interpretationem optima et egregia hominum doctissimorum opera studioque plurima sint collata, satis intelligi et perspici jure dicuntur ideo, quod parum adhuc expositae sint leges, rationes, artes, quibus in scena ipsa singula agebantur oculisque spectatorum repraesentari solebant; idem multo magis conqueri debemus in Romanorum re scenica, de qua, ut pauciores relictas fabulas taceam, accuratiorem enarrationem et historiam adeo invidit nobis antiquitas, ut, etsi homines in enucleandis rebus antiquis successu felicissimo versantes operam huc collocaverint, admodum dubitare liceat, an, quod in Graecorum, idem in Romanorum re scenica lucis possint afferre, quippe destituti scholiis, commentariis aliisque scriptis, quae in Graecorum rebus dramaticis antiquitas ipsa offert. Qui enim exstant Latinorum de re scenica scriptores, Euanthius, Diomedes grammaticus, Donatus, partim sunt brevissimi atque mirum in modum mutilati et corrupti, partim, viventes tempore ab artis scenicae elegantia jam remoto, minus curant disciplinam et artificia, quorum usus fuit, cum aetate, quam dicunt, aurea Romanarum litterarum et artium in scena agerentur fabulae. Utinam promissis suis staret *Boettigerus*, Vir prae caeteris huic rei par et idoneus, Terentium ita edendi, ut rei scenicae ubique sit ratio habita; aut aliquando in Plautum et Terentium ederentur ejusmodi commentarii, qualem in Aeschyli trilogiam et in Ranas Aristophanis nuper in *theatro Atheniensium* publicavit *Genelli*,

qui Vir Eruditiſſimus etſi in ſingulis erraverit, hanc tamen iniit viam, quam ingredi debet, qui penitus et elegantius intelligere cupit fabulam veterum ſive tragicam ſive comicam.

Sed ut redeam, unde egreſſus ſum, de *canticis* ita ſcribere animum induxi, ut, poſtquam de ſignificationibus vocabuli dixero, quaeſtio ſit de Romanorum conſuetudine cantica in ſcena agendi, et quatenus haec diverſa fuerit a diverbiorum pronuntiatione; deinde, num in *tragoediae* Rom. canticis idem mos fuerit; tandem, ſemperne obtinuerit. Obiter tum dicetur de *cantore* in fabulis et de formula *Plaudite*, de origine artis pantomimicae ex canticis et de uſu perſonarum apud Romanos. Poſtquam denique, quibus ex notis in fabulis cognoſcantur cantica, oſtendero, ipſa apud Plaudum et Terentium inveſtigabo. Erit, quod felicem me praedicem, ſi opera hac in re collocata haud prorſus Viris Doctiſſimis diſplicuerit, ſi ex parte ſaltem comprobata fuerit a Viro, cujus benignitati, inſtitutioni et doctrinae plurimum me debere laetiſſimus profiteor, *Chr. Dan. Beckio*, praeſertim cum Hujus Viri ex ſcholis, quibus olim interfui, haud pauca in ipſa haec ſtudia mea tranſierint.

Parum recte minusque accurate vulgo in lexicis *canticum* ſic finitur, ut idem eſſe videatur, quod *cantus*. At vero, quemadmodum *bellicum* non bellum, *claſſicum* non claſſem, *hoſticum* non hoſtem ſignificat, ſed aliud, quod ad bellum, claſſem, hoſtem ita pertinet, ut ſeparatum cogitari nequeat, ita *canticum* non eſt ipſe cantus, ſed res quae eſt cum cantu, ſive, cum nil fere aliud cani poſſit, verſus in id compoſiti, ut canantur. Hanc poteſtatem naſci ex terminatione, qua nomen *canticum* clauditur, patet ex analogia adjectivorum, quae, Graecos fortaſſe imitantibus Romanis, cadunt in *icus*, cujusmodi adjectiva antiquitus jam Romae in uſu fuiſſe, teſtimonio ſunt *morbus ſ o n t i c u s* in legg. duod. tabb. et *claſſes P o e n i c a e* in Columna Roſtrata. Adjectiva hujus vocabuli forma legitur apud Macrobium Somn. Scip. lib. 2: *delinimentis canticis occupatur.* Subſtantivum, quod inde ortum, haud una eſt poteſtate. Significat enim cantilenam, quae frequenti eſt in uſu et ore vulgi plebisque et de trivio, ut Martial. Epigramm. 3, 62: *Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat;* Quintil. Inſtitut. 1, 2, 8: *Omne convivium obſcenis canticis ſtrepit;* Appulej. Apolog. ſec. pag. 145 edit. Lugdun. MDCIV: *Feneſtrae canticis obſtrepitae.* Neſcio an huc referri debeat Petron. Satyr. cap. 31: *Paratiſſimus puer me acido cantico excepit.* Nam in univerſum hic illic cujuscunque generis cantilenam et carmen, quod canitur, Romani etiam melioris aevi ſcriptores dicunt *canticum*, ut Quintil. 9, 2, 35: *Παρωδὴ, quod nomen ductum a canticis ad aliorum ſimilitudinem modulatis.* Ad eandem generaliorem hujus nominis

vim retulerim Quintil. 1, 10, 23: *In carminibus et in canticis;* ut ſimiliter eſt carmen, quod ad citharam canitur, apud Appulej. Flor. lib. 2. p. 16 fin.: *Canticum ore tereti, ſemihiantibus labellis eliquare* (conatur) *citharoedus*, add. Vitruv. de architect. 5. praefat. med. et Phaedr. 5, 7, 25, ubi de Graecorum choro legitur *canticum.* Incantationi magicae inſervit *canticum* Appulej. Apol. I. pag. 120: *Quippe hoc emolumentum c a n t i c i s accipimus, praeſagium et divinationem;* eodemque ſenſu legitur deminutivum *canticulum* Pompon. ap. Non. c. 7. n. 113. Eſt etiam, ubi canticum prorſus generaliter dicatur de cantu ſolo, ut luſciniae Appulej. Floridd. 3. p. 25: *Luſciniae canticum adoleſcentiae garriunt;* etſi ſimul de ſenſu, qui huic cantico quaſi verbis inſit, cogitandum eſſe puto. Quod vero Scheller. lex. ſuo addit, probroſum carmen, quo alius perſtringatur, eodem verbo ſignificari, id cadit in locum a Schellero haud memoratum Pauli recept. ſentent. tit. 4: *Pſalterium, quod vulgo dicitur c a n t i c u m, i n a l t e r i u s i n f a m i a m c o m p o ſ i t u m,* multo magis, quam in locos, quos ipſe attulit, cf. lex. Forcell. Multo tamen frequentior eſt illa vis hujus nominis, qua dictum legitur de parte fabularum, quae qualis fuerit, facillime diſcimus ex grammatico Diomede lib. 3. pag. 489 edit. Putſch.: *Membra comoediarum tria ſunt: diverbium, canticum, chorus. — Diverbia ſunt partes comoediarum, in quibus diverſorum perſonae verſantur. — In canticis autem una tantum debet eſſe perſona, aut, ſi duae fuerint, ita debent eſſe, ut ex occulto una audiat nec c o l l o q u a t u r, ſed ſecum, ſi opus fuerit, verba faciat. — Latinae veto comoediae chorum non habent, ſed duobus tantum membris conſtant, diverbio et cantico.* Plus ſemel ad hunc locum recurram; nunc ſufficiat, inde didiciſſe, *canticum* hoc ſignificatu nil eſſe, niſi, ut Auguſtini verbo uti liceat, *ſoliloquium*, et opponi diverbio, quo plures in ſcena colloquuntur. Id quod pluribus ſubtiliter, ut facit, demonſtravit Hermannus in libello *de cantico* contra Viros, qui locis, quibus, ut in ſeqq. videbimus, de ſaltatione pantomimica *canticum* dicitur, non ita paucis ducti *cantica* fabularum ipſarum partes eſſe negarant nec niſi pro ſaltatione habuerant, quae inter actus, ut ſpectatores oblectarentur, eſſet exhibita. In quam opinionem primus, ni fallor, incidit Ger. Joann. Voſſius poet. inſtitutt. 2, 26, 14. Sed falſam eſſe poſtquam docuit Hermannus, equidem reticendum duxi. Hoc addo, etſi rarius omnino, hac tamen fere ſola poteſtate nomen *cantici* a ſcriptoribus aurei aevi dictum legi, ut caeteris ſignificationibus abſtinuiſſe videantur. Ita Cic. ad Fam. 9, 22, 2: *Itaque non modo in comoediis res ipſa narratur, ut ille in Demiurgo modo* (*forte noſti c a n t i c u m*, *meminiſti Roſcium*) *I t a m e d e ſ t i t u i t n u d u m.* Eodem redit locus Cic. Orat. 18: *Eſt in dicendo quidam cantus obſcurior, non hic e Phrygia*

et Caria rhetorum epilogus, paene canticum, ubi ne forte folo de cantu cogitemus, monemur praecedente verbo *epilogus;* ut enim epilogus orationis, fic fabulae pars eft *canticum;* et paullo negligentius vocis ille *cantus obfcurior,* quem in dicendo audiri Cicero (cf. Quintil. Inft. 11, 3, 60 et 58) non improbat, ut pateat, qualis non debeat effe, componitur cum epilogo, qualem rhetores e Phrygia et Caria agebant, quippe aberrantes fere in actionem *cantici,* cujus pronuntiatio, ficut deinde intelligetur, nonnifi per cantum fiebat. Eodem modo eademque vel fimili de re *canticum* legimus apud Plin. epp. 2, 14 fin. Quintil. 11, 3, 13. Idem Quintil. 1, 8, 2 poetarum lectionem, quae fit ad fimilitudinem cantici, improbat; fed in epilogi actione *cantici quiddam* haud reprehendit 11, 3, 167. Sed haec fatis fint dicta de verbi fignificationibus. Nam de ifta poteftate, qua nominatim in re pantomimica *canticum* habet locum, in feqq. demum, ut fupra jam monui, erit fermo.

Diftinguuntur a Diomede *cantica* a diverbiis, in quibus plures colloquantur in fcena, ut in *cantico* nonnifi *una* perfona verba faciat et agat, quod a Graecis *μονῳδίαν* dici difcimus ex Donato ad Hecyr. 5, 3, 18 et ex fcholiafta Sophoclis ad Electr. 86; idem *μονῳδή* dicitur a Lucian. de faltat. §. 27 ed. Schm. At gravius et amplius fuiffe discrimen inter canticum et diverbium, id non modo concludere licet ex accuratiore diftinctione canticorum a diverbiis, quam fieri videmus a Donato interprete Terentii in praefationibus, quas fingulis praemittit fabulis, verum etiam ex aliis, quae ibidem de canticis narrantur. Donatus haec habet ad Andriam: *diverbiis et canticis lepide diftincta eft;* ad Eunuch.: *Diverbia multa faepe pronuntiata; et cantica faepe mutatis modis exhibita funt;* ad Adelph.: *Saepe mutatis per fcenam modis, cantica mutavit: quod fignificat titulus fcenae, habens fubjectas perfonis literas M. M. C. Idem diverbia ab hiftrionibus crebro pronuntiata funt, quae fignificantur D et M, literis fecundum perfonarum nomina praefcriptis, in eo loco, ubi incipit fcena;* ad Hecyram: *Cantica et diverbia fummo in hac favore fuscepta funt;* ad Phormionem denique: *Totaque diverbiis facetiffimis et geftum defiderantibus fcenicum et fuaviffimis ornata canticis fuit.* Antequam de difficultatibus, quae hisce in locis latent plurimae, enarrare incipio, alium ejusdem grammatici adjiciam, quo non modo eadem fere docentur, fed quaedam largius certe et paullo planius edifferuntur. Eft in Donati libello *de comoedia et tragoedia,* in Wefterhov. Terent. tom. I. pag. LVII: *Diverbia hiftriones pronuntiabant. Cantica vera temperabantur modis non a poeta, fed a perito artis muficae factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, fed faepe mutatis. Ut fignificant, qui tres numeros in comoediis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici*

illius. Qui hujuscemodi modos faciebant, nomen in principio fabulae et fcriptoris et actoris fuperponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut, his auditis, multi ex populo ante difcerent, quam fabulam acturi fcenici effent, quam omnino fpectatoribus ipfis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, et dextris aut finiftris. Dextrae autem et Lydiae fua gravitate feriam comoediae dictionem pronuntiabant. Siniftrae et Serranae acuminis levitate jocum in comoedia oftendebant. Ubi autem dextra et finiftra acta fabula infcribebatur, miftim joci et gravitates denuntiabantur. Ex omnibus his locis difcimus, in canticis artem, quam nos dicimus, muficam ita effe adhibitam, ut modi, quos cum Graecis hodie dixeris melodias five *μέλη*, Romanis hic illic vocatos *carmina*, ut ipfe hic locus teftatur et Quintil. Inftit. 1, 10, 20: *Verfus quoque Saliorum habent carmen* et 9, 4, 11, ab homine artis muficae perito conficerentur, fecundum quos per fcenam cantica agerentur. Illa *carmina* five modi et melodiae ad tibias erant factae, ut, dum tibiis ad hosce modos canebatur, ad tibiarum modos et numeros in fcena agerentur cantica. Nec vero in eodem cantico omnia ad ejusdem generis modos agere erat moris, fed modorum natura faepius in uno plus femel mutabatur; qualem mutationem hic ille in libro fuo fabularum fignificabat partim literis M. M. C. i. e. mutantur modi cantici, uti iisdem verbis hanc interpretationem ipfe innuit Donatus in libello *de com. et trag.*, quae literae eo loco, ubi incipiebat fcena, juxta perfonarum nomina praefcribebantur, partim numeris I, II, III, qui in canticorum ipfis locis, ubi fieret mutatio, apponi folebant cf. Hermann. *de cantico* pag. VII.

At qualis fuerit hujusmodi mutatio modorum, id, fateor, eo difficilius eft dijudicatu, cum de veterum re mufica et pauca fint relicta, et ipfa haec pauca recte nonnifi ab eo intelligi poffint, qui artem muficam penitus calleat. Ut addam, quod cogito, mutationem iftam retulerim partim et potiffimum ad modulationis celeritatem, prouti aut citiffima, aut tardior aut media erat, partim, fed rarius, ad naturam et indolem foni, prouti aut acutior, aut gravior erat aut medium tenebat, cui foni discrimini tibiarum inferviebat varietas, de qua idem Donatus in loco noftro ad finem monet, ubi tria tibiarum genera memorantur, dextrae five Phrygiae, finiftrae five Serranae, atque ubi dextra et finiftra agebatur fabula mixta ex jocis et gravitate. Tibiae enim, quae in fabularum actione erant in ufu, haud dubie omnes fuerunt geminae, quales oftendit imago, quam Bartholinus libro fuo *de tibiis* 2, 10 inferendam curavit; quem falfum fuiffe puto fcribentem *fchema effe comoediae*, cum in comoediae diverbiis nunquam ita, ut hic rem videmus repraefentatam, tibiarum fuerit cantus; ni omnia me

fallunt, ſpectamus illic ſcenam ex comoedia quidem neſcio qua ſumtam, ſed a *pantomimis* actam, quos ad tibiarum cantum ſaltaſſe, ſatis notum eſt. *Geminas* vero in fabularum partibus, quae, tibicine canente ſive modulante, agebantur, fuiſſe tibias, teſtantur apud Terentium didascaliae, in quibus tibiae commemorantur aut plurali numero aut duae nominatim, quae aut dextrae erant aut ſiniſtrae, aut ex dextra una alteraque ſiniſtra compoſitae; ſi ambae erant dextrae vel ſiniſtrae, dicebantur pares; ſin una ſiniſtra, dextra altera, impares. Ita de hoc tibiarum diſcrimine judicavit Salmaſius in edit. ſcriptt. rei Auguſt. edit. Lugdun. MDCLXXI tom. II. p. 829 ſeqq., nec, puto, a vero aberravit, quod hac cum interpretatione bene conveniunt, quae ſunt ante Terentii fabulas, didascaliae. Quod *dextrae* et *ſiniſtrae* vocantur, factum cenſeo, quod alterae ſiniſtra, dextra parte alterae habebant foramina. De qua inſcriptione a Donato dicitur verbis: *Ubi autem dextra et ſiniſtra acta fabula inſcribebatur,* haec cum nusquam appareat in didascaliis, quae apud Terentium adhuc exſtant, ex Salmaſii ſententia ſignificantur *tibiae impares,* quae, ut geminae, ita junctae erant ex una dextra, ſiniſtra altera. Memorabile eſt, in re muſica, ſine dubio ex Pythagoreorum rationibus orta conſuetudine, ad ternarium numerum plurima ab antiquis eſſe reducta, cf. *Vindiciae Romanae tragoediae* p. 44, quam diſſertationem a. MDCCCXXII edidit *A. G. Langius,* cujus Viri amicitiam et conjunctionem maximi per totam vitam aeſtimabo. Ad illum muſicorum ternionem reducendos videri etiam numeros I, II, III, quos, Donato teſte, in canticis quidam apponebant, idem Langius recte monuit. Nam in loco, quem attulit ex Ariſtid. Quintil. de muſica lib. I (Antiquae Muſicae auctt. edit. Meibom. Vol. II. p. 30), in quo de muſicae generibus eſt ſermo, prout *γένει, τόνῳ, τρόπῳ, ἤθει* differat, nominatim tres mutationes ſive, quas Graeci muſici vocant, *μεταβολαί,* illae, quae *τὸ ἦθος* ſequuntur, in meam, quam ſupra propoſui, cadunt ſententiam, ut alii modi fuerint triſtes, *λυπηροί,* alii alacriores, *τὸν θυμὸν ἐξεγείροντες,* alii medii, *εἰς ἠρεμίαν τὴν ψυχὴν περιάγοντες.* — De verbis, quae ſunt apud Donatum: *Qui hujuscemodi — ſuperponebant* optime judicavit Langius, Collega mihi cariſſimus, pag. 45. lin. 4, ſententia, quam ipſe olim propoſueram de hoc loco, recte improbata. Interpungit poſt *cantici* in enunciatione proxime antecedente et, pronomine *illius* cum ſeqq. conjuncto, ita legi ſuadet: *Illius, qui hujuscemodi modos faciebat, nomen et ſcriptoris et actoris ſuperponebant;* ubi, ut facilius procedat oratio, hoc unum addere liceat, poſt *nomen* voculam *et* mutandam videri in *ut.* Cogitandum vero patet de didascaliis, quas adhuc habemus apud Terentium *ſuperpoſitas* i. e. ſingulis fabulis praefixas, in quibus nominantur et poeta et actor, qui gregem hiſtrionum alebat, et homo

muſicae artis peritus, qui nominatim in canticis modos fecerat. — Quae leguntur: *ut his auditis, multi ex populo ante diſcerent, quam fabulam acturi ſcenici eſſent, quam omnino ſpectatoribus ipſis antecedens titulus pronuntiaretur,* ex iis patet, ad illa carmina ſive modos et *μέλη,* ad quae cantica agi ſolebant, etiam antequam agi coepta eſt fabula, in ſcena tibiis cantatum eſſe, illosque modos adeo fuiſſe multis ſpectatorum notos, ut ex ſolo tibiarum cantu intelligerent, quam fabulam acturi eſſent ſcenici. Unde concludere oportet ſtatos et fixos fuiſſe modos et manſiſſe in uſu eosdem, notis ſignisque neſcio quibus et qua ratione pariter deſcriptos, atque hodie apud nos fieri aſſolet. Illum morem ante actionem fabulae ad modos canticorum tibiis canendi, jam Ciceronis aetate obtinuiſſe videmus ex Academ. 7, 2, 20: *Quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis Antiopam eſſe ajunt aut Andromacham, cum id nos ne ſuſpicemur quidem.*

Quod vero in Donat. praefatione ad Eunuch. *diverbia multa ſaepe pronuntiata* et ad Adelph. *ab hiſtrionibus crebro pronuntiata* dicuntur, haec verba cum ſequentibus *quae ſignificantur D et M, literis ſecundum perſonarum nomina praeſcriptis* explicatu ſunt adeo difficilia, ut deſperandum ſit, an quis unquam plenius et accuratius ſenſum indagare poſſit. Veruntamen cum, verba quid velint, etſi obſcurius, aliqua ſaltem ex parte per ſeriem orationis cognoſcere liceat, etiam haec veſtigia de re ſcenica Romanorum non eſt quod adſpernemur. Vitium in verbis latere, parum ſuſpicari debemus, cum in utroque loco idem legatur, *ſaepe pronuntiata, crebro pronuntiata.* De diverbiorum vero pronuntiatione plus ſemel, ſpectatoribus flagitantibus, ab hiſtrionibus repetita (cf. Liv. 7, 2 et Val. Max. 2, 4, 3) quo minus intelligamus, impedimur partim contextu orationis, partim verbis *multa ſaepe pron., crebro pron.,* minus in hunc ſenſum aptis, partim eo, quod ſequitur: *quae ſignificantur D et M.* Omnem ſublatum iri opiner difficultatem, ſi poſt *ſaepe* et *crebro* ſcriptum eſſet *per mutationem;* quippe de mutatione quadam in diverbiis pronuntiandis hic cogitare praeter ſermonis ſeriem jubent literae M, D., quibus nil niſi *diverbia mutata* notantur. At ejusmodi vocabulum num exciderit, num in aliud abierit, ſicuti *multa* juxta *ſaepe* fortaſſe diſpliceat, num vitium ſit in literis *D et M,* num verbum *pronuntiare* interdum per ſe habuerit ejusmodi vim, ut aliud, e. g. *per mutationem,* haud opus eſſet adjicere, de quo, cum *pronuntiare* (cf. Quintil. Inſt. 11, 3, 73) proprie de diverbiorum recitatione dictum videatur, parum mihi perſuaſerim, his omnibus non exputatis, nonniſi hoc addo utpote clarum et omnibus perſpectum, etiam in diverbiis non eandem permanſiſſe pronuntiationem, ſed nominatim celeritate, gravitate, vehementia plurimum varia-

tam eſſe, prouti vel argumentum lenitatem aut commotionem prae ſe ferebat, vel perſonarum aetas, mores et conditio hanc illam recitandi rationem ſuadebant, cf. Quintil. Inſtit. 11, 3, 74 ſeqq. Accuratiſſimos in recitando exſtitiſſe pronuntiandi *artifices* (Quintil. 11, 3, 73), plurima teſtantur, quae veteres de hiſtrionibus nobis tradunt e. g. Quintil. 2, 10, 13: *Quod faciunt actores comici: qui nec ita prorſus, ut nos vulgo loquimur, pronuntiant, quod eſſet ſine arte: nec procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio: ſed morem communis hujus ſermonis decore quodam ſcenico exornant;* add. locc., quibus Cic. in laudes Roſcii et Aeſopi erumpit. In ſenariis quidem facilior et remiſſior erat ars recitandi, utpote ad vitam et ſermonem quotidianum propius accedens, quod ipſe indicat Cic. Orat. 55, 184. At multum alia fuit res, cum ad longiores et difficiliores verſus in diverbiis transiret oratio, ad tetrametros jamb. et troch., ad anapaeſtos, ad creticos, ad bacchiacos, ad aſynartetos, qui omnes ut geſtum ſibi poſcebant vehementiorem, ita in recitando non debebant obſcurari rhythmi. Hic erat opus ſcabellis (vid. Baumgarten-Cruſ. ad Sueton. Cal. 54) modulationem regentibus, hic monitore, *qui in ſcena moneret hiſtrionem* (vid. Feſt. ſ. h. v.), ne τοὺς ῥυθμοὺς καὶ τὰ μέτρα migraret, ut dicit Plutarch. in loco admodum memorabili de *monitore*, τῷ ὑποβολεῖ, in Politic. praeceptis p. 497 ed. Baſ. (edit. Tauchnit. Plutarch. moral. tom. V. pag. 88. lin. 7), vid. Langius *vindic. tr. Rom.* p. 46. Nonne in hujusmodi diverbiis, qualia plura ſunt in Eunucho, fabula admodum motoria, et in omnibus Plauti comoediis, neceſſaria erant ſigna, quibus mutati affectus animorum atque verſuum numeri indicarentur et alia, quae ſcitu et animadverſu digniſſima erant pronuntianti? De modis muſicis, ad quos diverbia recitarentur, adeo non cogitari debet, ut, cum loci mihi quidem deſint, quibus evidentius probetur, etiam illud incertum relinquatur, num tibicen in ſcena ſtans hiſtrioni diverbia pronuntianti ſingulos interdum ſuppeditaverit ſonos, quibus pronuntians vocem moderaretur. Quanquam factum eſſe inprimis in metris impeditioribus et verſus finem fabularum, ubi res ex more ſiunt commotiores, mihi eo veriſimilius eſt, cum oratorem Gracchum idem feciſſe narretur cum ab aliis, tum a Quintil. 1, 10, 27, cf. ibi Spalding. Qui verum tibiarum cantum in diverbiis quoque fuiſſe probare poſſent lectori, duos locos ex Cicer. Tuſcul. 1, 44, 106 et Orat. 55, 184, ut in ſeqq. magis apparebit, de canticis accipi velim. Quod autem apud Petron. ſatyr. c. 64 init. *canturire diverbia* quidam dicitur, illo loco curatius perlecto, de homine dici intelligetur, qui per otium, ut ingenio indulgeat, fabulae hanc illam partem voce quodammodo cantante demurmuret; hanc enim vim eſſe puto verbi deſiderat. *canturire.* Nec magis referri huc poſſit Euanth. *de trag. et com.:*

com.: Etenim (in vetere Graecorum comoedia) *per priſcos poetas non, ut nunc, penitus ficta argumenta, ſed res geſtae a civibus palam cum eorum ſaepe, qui geſſerant, nomine decantabantur.* Ut enim omittam, de vetere Graecorum comoedia hic dici, verbum *decantare* per ironiam fere hic idem eſt, quod clara voce perſtringere, conviciari.

At ut revertar a diverbiis ad canticum, quod, dum ad modos, qui ad ejus argumentum et indolem erant compoſiti, tibiis canebatur, in ſcena actum eſſe vidimus, porro nunc inveſtigandum eſt, qualis ipſa canticorum in ſcena fuerit *actio*, et qua lege et ratione apud Romanos ab hiſtrionibus cantica *agi* mos juſſerit. Optime hac de re edocemur a Livio et, qui eum aut ejus fontem ſecutus videtur, a Valerio Maximo. Livius libr. 7. c. 2, mentione injecta ludorum ſcenicorum, quos Romani anno P. U. C. 391, ut peſtilentia et ira deorum placaretur, inſtituerant, per reliquam capitis partem brevem exponere incipit hiſtoriam rei ſcenicae, qualis a primordiis apud Romanos exſtiterit. Ibi leguntur haec: *Livius poſt aliquot annos, qui ab ſaturis auſus eſt primus argumento fabulam ſerere,* (*idem ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor*) *dicitur, quum ſaepius revocatus vocem obtudiſſet, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis uſus impediebat. Inde ad manum cantari hiſtrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipſorum voci relicta.* Livium Andronicum, qui antiquiſſimus audit poeta Romanorum, intelligendum eſſe nemo non videt. Quod hic *aliquot annis,* poſtquam ludi ſcenici Romae anno 391 inſtituti erant, fabulas docuiſſe dicitur, ut alii jam monuerunt cf. Bothius, Vir Celeberrimus, *poett. Lat. ſcen. fragm.* tom. I. p. 3, longius, quam ſuſpiceris, eſt ſpatium, annorum 123. Primam enim fabulam dedit coſſ. C. Claudio Cethego et M. Sempronio Tudetano a. P. U. C. 514. *Saturae,* quas primus reliquiſſe traditur Livius Andr. ad legem componens fabulas, et quas Livius hiſtoricus verbis, quae proxime antecedunt, nominavit *modis impletas, quas deſcripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti peregiſſent,* fuerunt, non illae didacticae, quas Romani habebant a Lucilio, Horatio, Perſio, ſed *dramaticae,* quae ad modos tibiarum agebantur, cf. quae Eichſtadius, Vir in rerum antiquarum notitia egregie et eleganter verſatus, diſſerit in libro *de dramate Graecorum comico-ſatyrico,* Lipſiae 1793 pag. 60 ſeqq., et quae doctiſſime disputavit J. Kp. F. Manſo *Nachträge zu Sulzers allgem. Theor. d. ſch. K.* tom. IV. part. 2. pag. 412; quanquam moneo, non ſatis animadverſum mihi videri ad verba noſtri loci: *qui non, ſicut ante, Feſcennino verſu* (i. e. verſui) *ſimilem* (verſum), *incompoſitum temere ac ru-*

dem, alternis jaciebant, ubi a ſaturis dramaticis Livius excludit verſus Feſcenninos, quibus ſaturas iſtas conſtitiſſe plurimi credunt ſecuti Horatium Epp. 2, 1, 145, etſi hic, ut poeta, minus, quam Livius, de re dramatica apud Romanos locutus videatur accurate et diſtincte. Has vero ſaturas, ut ex legibus dramaticis nondum compoſitas, reliquit Livius Andronicus et fabulam condere incepit, cui juſtum ſubeſſet argumentum. Quas compoſuerat, fabularum idem erat actor in ſcena ex more, quem illius aetas ſequebatur. Itaque cum Livius Andr., quando in fabulae actione placuerat, plus ſemel ut idem repeteret, a ſpectatoribus invitatus et geſticulando et pronunciando fatigaretur, ne vocis utpote obtuſae claritatem perderet, *cantica* nonniſi geſtu agere maluit et verba cani a puero, i. e. ſervo, ni fallor, ex grege ſuo hiſtrionum, hujus rei perito, ante tibicinem collocato. Ita eo validior ipſius geſtus evaſit. Hanc ſequenti tempore enatam eſſe conſuetudinem docent, quae adduntur: *Inde ad manum* i. e. ad chironomiam *cantari hiſtrionibus coeptum.* Etſi enim non ſolas ad manus, ſed ad totum fere corpus pertinebat geſtus, manus tamen potiſſimum adhibebantur. Quae Livius hic narrat, eadem leguntur apud Valer. Max. 4, 2: *Paulatim deinde ludicra ars ad ſaturarum modos perrepſit; a quibus primus omnium poeta Livius ad fabularum argumenta ſpectantium oculos et animos transtulit. Isque, ſui operis actor, cum ſaepius a populo revocatus vocem obtudiſſet, adhibito pueri et tibicinis concentu, geſticulationem tacitus peregit.* Ex Livii verbis tibicen jam ante ab actore adhibebatur, quippe ad quem puer ad canendum collocatus eſt; contra apud Valerium in fabularum actione etiam tibicinis uſus tunc demum obtinuiſſe videatur, cum Livius, vocis cantu omiſſo, ſolam geſticulationem ſibi retinuerit. Majorem tamen hic auctoritatem tribuendam patet Livio, cum tibiarum uſum, jam ante in ſcena haud incognitum, a Livio poeta retentum eſſe jam per ſe ſit veriſimilius; accedit, quod ipſius Valerii verba etſi artificioſius, ſic ſatis tamen in Patavini ſenſum accipi poſſunt.

His igitur locis teſtantibus a Livio Andronico apud Romanos inducta eſt conſuetudo, per cantum ſive canorem, quem proprie dicimus, in ſcena cantica agendi ita, ut alius, hiſtrio ſive actor ipſe, geſtum faceret tacitus, alius caneret, ne ille impediretur vehementiorem, quem ſibi poſtulabant cantica, perficere geſtum. Quod enim in canticis ſolus ſecum loquitur, qui in ſcenam prodiit, his ipſis in partibus fabularum animorum commotio in ſummum augeatur neceſſe eſt, ut quidquid per fabulas reperitur canticorum, in iis major magisque continua ſit vehementia et validiori agi debeat geſtu, quam ab eadem perſona fieri ſolet in diverbiis. In canticis in verba plerumque erumpunt, quaecunque pectore latent, coquuntur et verſantur, in diverbiis magis occuluntur, quin colloquio ſaepius mitigantur. Quis autem fuerit hiſtrio, qui in canticis geſtum agebat, ipſe Livius ſignificare videtur dicens: *inde ad manum cantari hiſtrionibus coeptum, diverbiaque tantum* i p ſ o r u m *voci relicta;* hiſtriones ergo, qui in canticis geſticulabantur, iidem diverbia pronuntiabant; et quas partes hiſtrio ſemel ſuſceperat, earum et cantica et diverbia idem agebat; id quod vere dici unicuique eo facilius perſuadebitur, cum diverbia, ut ſeqq. videbimus, ſaepiſſime in cantica, et vice verſa, transeant, cf. Hermann. *de cantico* pag. XIV.

Sed antequam longius progredimur, ut de canticorum ratione undique conſtet, pauca adhuc reſtant verba in iſto loco Diomedis pag. 489. ed. Putſch. diligentius perpendenda. Dicit ita: *In canticis una tantum debet eſſe perſona, aut ſi* d u a e f u e r i n t, i t a d e b e n t e ſ ſ e, u t e x o c c u l t o u n a a u d i a t n e c c o l l o q u a t u r (cum eo, qui canticum agit), *ſ e d ſ e c u m, ſ i o p u s f u e r i t, v e r b a f a c i a t.* Hic conceditur, fieri interdum, ut in canticis praeter perſonam, cujus canticum ſit, altera in pulpito adſit, quae canticum agenti auſcultet, ab hoc nec animadverſa nec colloquens, ſed, ſi opus fuerit, nonniſi ſecum verba faciens. Id vere concedi, intelliget, qui in Plauto inveſtigaverit cantica; quorum haud pauca ſic comparata inveniet, ut, dum per vehementiſſimam animi commotionem una ex perſonis canticum exorditur aut jam agit, altera, quin nonnunquam duae ſcenam intrent perſonae, quae, cum ab agente canticum non conſpiciuntur, de iis, quae modo audiunt et vident, verba faciunt aut ſecum aut inter ſe aut interdum ad ſpectatores. Nam utrumque hic illic fieri, Diomedes ipſe oblitus eſt addere, teſtantur cantica Plauti, cujus feſtivo ingenio ſalibusque comicis ejusmodi interlocutionem intercalarem admodum placuiſſe videmus. A Terentio magis moderato minusque joci et facetiarum ſtudioſo non ita rem inſtitutam eſſe deinde videbimus.

Ut igitur nunc pauciſſimis verbis eorum, quae hucusque diſputata ſunt, ſumma repetatur, *cantica* i. e. partes fabularum, in quibus una tantum perſona in ſcena verba faciebat, ita agi ſolebant, ut, dum verba canebantur ab alio, hiſtrio ipſe, cujus erant partes, in quas ceciderat canticum, geſticulationem tacitus perageret, utrique et geſtum peragenti et canenti tibicine numeros modosque exhibente et praeeunte.

Sed jam eo pervenimus, ubi diſcutienda tandem videatur quaeſtio, quae hucusque plane abjecta et ne verbo quidem commemorata jacebat, utrum ſolis in comoediis, an in tragoedia quoque fuerint *cantica* locumque habuerit, de qua plenius adhuc diximus, conſuetudo Romanorum, cantica per tres agendi, per tibicinem, per canentem, per geſticulantem. Ita enim interrogari poſſe, non erit, quod mireris, ſi attenderis, in omnibus locis, e quibus cantici ſcenicam, ut ita dicere liceat, ſigni-

ficationem aeque ac naturam et rationes explicare et elicere conatus sum, aut solius comoediae fieri mentionem, aut rei dramaticae in universum, tragoedia diserte et nominatim nusquam commemorata. Sic in Diomede: *Membra comoediarum tria sunt: diverbium, canticum, chorus. — Latinae vero comoediae chorum non habent; sed duobus tantum membris constant, diverbio et cantico;* apud Donatum vero neque in praefationibus neque in libello *de com. et trag.* canticum et ejus ratio ad tragoediam refertur; in Livii tandem et Valerii locis nec de com., nec de trag., sed de ludis scenicis in universum est sermo. At nihilominus, in tragoediis similiter valuisse et nomen et morem illum, plus uno indicio evinci posse puto; qua fiducia cum fretus essem, factum est, ut quaestionem istam in hunc rejecerim locum, ubi ex iis, quae jam disputata sunt, hoc illud utilitatis ad eam dissolvendam me percepturum sperabam.

At primum hoc negari nequit, nimirum rerum natura sic postulante, in omnibus fabularum, quas recte ita dixeris, generibus, ideoque etiam in tragoedia et in Atellanis, quae posteriori tempore admodum in deliciis erant Romanis, exstitisse partes et scenas, in quibus solus et unus verba faceret histrio secum loquens. A Graecis has dictas esse *μονῳδίας*, utpote distinguendas a *plurium* cantu in choro, jam supra dixi. Apud Romanos vero iisdem omnibus fuisse nomen *canticorum*, plus uno loco ex veterum scriptoribus probatur. De cantico ex Graeca tragoedia sumto, cujus clausula fuit *τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα*, legimus Macrob. Saturn. 2, 7. Cantica in vetere Graecorum comoedia intellexit Diomedes *membra comoediarum tria a duobus Latinarum* distinguens. Deinde cantica in universum de omni re dramatica dixit Livius et Valerius Max.; ex Atellanis denique sunt cantica, quorum fit mentio apud Suetonium Ner. 39 et Galb. 13. De utroque loco in seqq. erit sermo. Nunc enim dispiciendum est alterum, quod in quaestionem venit, num mos, ex quo alius cantum, gestum alius in scena curabat, etiam in tragoediae Romanae et in Atellanae canticis fuerit. Ut affirmandum hoc judicem, ante omnia in causa mihi fuerunt Liv. 7, 2 et Val. Max. 2, 4, 3, qui in re dramatica generatim hanc consuetudinem exortam esse narrant. Porro Lucianus *περὶ ὀρχήσεως*, i. e. de saltatione potissimum pantomimorum apud Romanos, §. 30 (tom. I. p. 554 edit. Schmieder,) similiter de illa Romanorum consuetudine loquitur in universum, nullo dramatum genere excluso: *πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ καὶ ᾖδον καὶ ὠρχοῦντο· εἶτ᾽, ἐπειδὴ κινούμενον τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν*; accedit Gellius 20, 2 fin.: *Saltabundi autem* (i. e. gesticulantes vid. Hermann. *de cant.* pag. XII. lin. 33) *canebant, quae nunc stantes agunt.* Qui autem inprimis huc pertinet, in loco Isidori Origg. XVIII. c. 44 diserte ad tragoediam iste mos refertur: *Orchestra autem pulpitus*

erat scenae, ubi saltator agere posset, aut duo inter se disputare. Ibi enim poetae comoedi et tragoedi ad certamen conscendebant, iisque canentibus alii gestum edebant. Cum locus non sit sine difficultate, haud erit a re, paucis circumscribendo docere, quae mea de loco sit sententia. Ut enim apud Graecos saltabatur in orchestra, ita apud Romanos, qui orchestram in theatro senatoribus dederant, in pulpito fiebat et *saltatio* sive gesticulatio in canticis et diverbiorum actio, ubi plures colloquebantur sive *disputabant.* In pulpitum descenderunt poetae, utpote, Livio 7, 2 et Val. Max. 2, 4, 3 testibus, suorum carminum actores, tum comoedi tum tragoedi, periclitantes, populo an placerent, quas fecissent, fabulae. Id quod cum nominatim a canticis, partibus potioribus, penderet, haec potissimum respexit Isidorus, ut adjicere potuerit *iisque canentibus alii gestus edebant.* Ubi animadvertendum est, aliam hic esse rationem, atque apud Livium et Val. Illic gestum facit poeta, hic cantum. Et ita de tragoediae cantico, quatenus per *gestum* agatur, etsi hoc nomine suppresso, legimus apud Cicer. de Orat. 3, 26, 102: *Quid ille alter* (Aesopus tragoedus) *Quid petam praesidi quam leniter, quam remisse, quam non actuose. Instat enim O pater, o patria, o Priami domus, in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumta superiore motu et exhausta. Neque id actores prius viderunt, quam ipsi poetae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos, a quibus utrisque submittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, distinguitur.* Ex tragoediae porro cantico sumta esse, quae legimus Cic. Tuscul. 1, 44, 106, ex iis patet, quae de versibus eorumque modis adduntur; nec minus ea, quae dicuntur Tuscul. 3, 19, 44 et 1, 35, 85 et Orat. 55, 184. Restat tandem locus, in quo Roscius histrio in senectute numeros et cantus et tibiarum tardiores fecisse dicitur; quem de canticis etiam tragoediarum intelligendum patet, modo non tantum comoedum, sed etiam tragoedum fuisse Roscium constet; in quod, antequam affertur locus ipse, debet inquiri.

Roscium tragicum histrionem pariter atque comicum excelluisse, vulgo creditur, cf. Wieland. et Haberfeldt. ad Horat. epist. 2, 1, 82, *Memoires de literature* tom. 6. à la Haye 1724, Casp. Iac. Chr. Reuvens. *Collectanea litteraria.* Lugdun. Batav. 1815, Langius *vind. trag. Rom.* pag. 19. At vero si accuratius loci inspiciuntur, quibus hanc sententiam niti volunt, est, quod dubitare incipias. Plutarch. et Quintil. comoedum Roscium fuisse diserte dicunt et distinguunt ob Aesopo tragoedo. Ita enim scribit Plutarch. in vita Ciceron. cap. 5: *Λέγεται δὲ καὶ αὐτὸς οὐδὲν ἧττον νοσήσας τοῦ Δημοσθένους πρὸς τὴν ὑπόκρισιν, τοῦτο μὲν Ῥωσκίῳ, τῷ κωμῳδῷ, τοῦτο δ᾽ Αἰσώπῳ, τῷ τραγῳδῷ προσέχειν ἐπιμελῶς*; et Quintil. de Instit. orator. 11, 3, 111: *Roscius citatior,*

Aeſopus gravior fuit; quod ille comoedias, hic tragoedias egit. Ubi porro plurima de Roſcii arte hiſtrionia leguntur, in Cicer. oratione *pro Q. Roſcio Comoedo* ne ullum quidem veſtigium exſtat, unde diſcamus, *tragoedum* eundem fuiſſe, niſi exceperis locos, quibus in univerſum vel hiſtrio nominatur vel de ſcena dicitur; vid. c. 6, §. 17, ubi *hiſtrio* vocatur et *digniſſimus ſcena propter artificium,* et *foro propter vitam* (quod de eodem legitur *pro P. Quintio* c. 25, §. 78); c. 7, §. 20: *Cujus Chaereae perſonam praeclare Roſcius in ſcena tractare conſuevit. — Nam Ballionem — lenonem cum agit, agit Chaeream;* c. 10, §. 28: *Ex artificio comico,* et ibidem §. 30: *ſic ex peſſimo hiſtrione bonum comoedum fieri poſſe exiſtamarat* (Roſcius); (add. c. 11, §. 30 de *Erote comoedo* et c. 17, § 50. de *Ballione).* Comoedus eſt idem Ciceroni ad diverſſ. 9, 22, 2, ubi ex comoedia verſus laudatur. Ex omnibus igitur, quos laudavimus, locis apparet quidem, magis comoedum fuiſſe ſaepiusque comoedias egiſſe, ſive proprio ſenſu ſuoque ingenio ductus, utpote ad citatiorem comoediae geſtum propenſior, ſive ob oculorum vitium, qui ipſi erant perverſi, vid. Cic. de Nat. deor. 1, 28; qua quidem de cauſa Roſcium apud Romanos primum in ſcena perſona uſum eſſe docet Diomedes lib. 3. p. 486 Putſch.; ſed de illo loco et de perſonarum uſu apud Rom. infra erit ſermo.

At nihilominus tamen in utroque dramatum genere Roſcium inſignem artificem fuiſſe, recte ſtatutum cenſeo. Nam primum pluribus in locis Cicero de eo ita loquitur, ut nec ipſe cogitaſſe videatur, nec lector cogitet niſi in univerſum de artificio dramatico, ut ubi digniſſimum ſcena propter artificium nominat, aut Roſcii venuſtatem laudat. Deinde locus eſt Cic., ubi verſum egiſſe dicitur Roſcius, de Orat. 3, 26, §. 102: *Nunquam agit hunc verſum Roſcius eo geſtu, quo poteſt: Nam ſapiens virtuti honorem praemium, haud praedam petit, ſed abjicit prorſus, ut in proximos: Et quid video? ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras, incidat, adſpiciat, admiretur, ſtupeſcat,* qui verſus haud dubie ex tragoedia ſumti ſunt, non modo, quod verba tragoediam redolent, ſed etiam, quod, quae ſubſequuntur, aperte ex tragoedia, neſcimus qua, repetita ſunt. Sed eodem in loco, quae proxime ſubſequuntur, non ad Roſcium, ſed, quod homines docti non omnes animadverterunt, ad alium, haud dubie ad Aeſopum, pertinere, docent verba: *Quid ille alter.* Ut autem probetur, etiam tragoedum fuiſſe Roſcium, accedit porro, quod negari fere non poteſt, a Cicerone Orat. 31, §. 109: *Hiſtriones eos vidimus, quibus nihil poſſet in ſuo genere eſſe praeſtantius, qui non ſolum in diſſimillimis perſonis ſatisfaciebant, cum tamen in ſuis verſarentur, ſed et comoedum in tragoediis, et tragoedum in comoediis*

admodum placere vidimus ſi non ſolos, maxime tamen Roſcium et Aeſopum intellectos eſſe. Denique Horat. Epp. 2, 1, 79 ab *Aeſopo* et *Roſcio* fabulas Quintii Attae actas teſtatur; quem Attam quanquam fabulas e comoediarum claſſe et genere, *togatas,* compoſuiſſe ſcimus, propius tamen ad tragicam ſeveritatem haec dramata accedebant cf. Reuvenſ. l. l. pag. 41.

Quae cum ita ſint, ſi dubitari non poteſt, etiam tragoedum fuiſſe Roſcium, nil impedit, quo minus de tragoediarum quoque canticis intelligamus locum de Roſcio Cic. de legg. 1, 4, 11: *Ut quemadmodum Roſcius, familiaris tuus, in ſenectute numeros in cantu leniverat* (ex conject. Herm. *de cant.* pag. XII pro *ceciderat*) *ipſaſque tardiores fecerat tibias;* quocum conferri debet locus de Orat. 1, 60, 154: *ſolet idem Roſcius dicere, ſe, quo plus ſibi aetatis accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remiſſiores eſſe facturum.* Nam etſi de duobus hisce locis Hermann. *de cant.* p. XII monet, non *aperte* indicari, ceciniſſe alium, quam hiſtrionem, iis tamen, quae proxima illic et ante et poſt leguntur, ad illam, ni fallor, ducunt interpretationem, ex qua non modi tantum tibicinis, ſed cantus etiam non Roſcii ſunt, ſed alius, ut hiſtrio Roſcius, ne ſibi jam ſeni geſticulandum eſſet juſto celerius, in modis tardiorem fecerit tibicinem non magis, quam cantantem. — In Atellanis per geſtum ab hiſtrione actum eſſe canticum, diſcimus e Sueton. Ner. 39: *Et Datus, Atellanarum hiſtrio, in cantico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ; ita demonſtraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum ſcilicet Claudii Agrippinaeque ſignificans: et in noviſſima clauſula, Orcus vobis ducit pedes, ſenatum geſtu notaret.* Graeca enim, utpote in Atellanis admodum comicis (cf. Diomed. gr. lib. 3 *quid interſit inter. tr. et com.*), erant immixta Latinis. Eodem ducunt verba apud eund. Galb. 13: *Siquidem Atellanis notiſſimum canticum exorſis Venit io! ſimus a villa, cuncti ſimul ſpectatores conſentiente voce reliquam partem retulerunt, ac ſaepius verſu repetito egerunt.* At quia in hoc loco plurali nominantur Atellani hiſtriones, magis, ut Hermann. jam docuit, de choro quodam cogitandum videatur, quod cum Atellanae minus legem ſequantur certam, parum itidem ſit mirum; quanquam monendum eſt, ante Beroaldum (vid. Baumgarten-Cruſ. ad h. l.) vulgatam fuiſſe *exorſus,* ut lectio jam exiſteret *Atellanus — exorſus* a mea re minime aliena. Neque minus in mimis tum exſtitiſſe cantica tum eandem, quam in comoediis, agendi conſuetudinem obtinuiſſe, quemadmodum per ſe jam veriſimile eſt, loco confirmatur, quem attulit Müller *de genio, moribus et luxu aevi Theodoſiani* Havniae 1797 et Goettingae 1798 tom. II. p. 94 ex Chryſoſtom. cont. ludos: *Vides mulierem* (mimam) *cantica meretricia canentem.* Sequor enim eorum ſen-

tentiam, qui Romanorum mimos non monodramata fuiſſe, nec ſoliloquio tantum conſtitiſſe cenſent, ſed etiam diverbia inter plures perſonas et primarum et ſecundarum et tertiarum partium in iis acta et in ſcena tractata eſſe, cf. Ziegler. *de mimis Romanorum* pag. 21 ſeqq. Inprimis huc facit locus ille notus Petronii ſatyr. cap. 80: *Grex agit in ſcena mimum — perit.* Quanquam hoc concedendum patet, in mimo, cum in eo pariter, atque in Atellanis, liberius verſati fuerint Romani, non unam eandemque nec certam exſtitiſſe formam et legem, ut diverſa mimorum genera locum habuiſſe ſit veriſimile.

Quod vero et Diomedes et Donatus in libellis *de com. et trag.* cantica in comoedia ponunt, non in tragoedia, quaſi hanc excludentes, id in Donato ex conſilio repetendum puto, quod in libello ſuo conſcribendo ſit ſecutus. Donatus, cujus commentarium in Terentium adhuc habemus, praefationem edidit omnibus Terentii fabulis communem, quam inſcripſerat *de comoedia.* Hujus fragmentum adhuc exſtat libellus *de com. et trag.*, amplificata inſcriptione, quod in eodem, ſicuti neceſſarium erat, etiam de tragoedia pauca leguntur. Hoc vere accipi, confidentius credo, cum idem cadat in alium *de trag. et comoedia* libellum, qui eſt in pluribus Terentii libris, ut Weſterhovii tom. I. pag. LIV, Euanthii, a quo commentarium Terentii ſcriptum memorat Rufinus *comment. in metra Ter.* ed. Putſch p. 2706; ibi legitur: *Euanthius in commentario Terentii de fabula, hoc eſt de comoedia ſic dicit*, et jam ſequuntur nonnulla ex illo libello ſumta. Fabulam, ut obiter hoc moneatur, nominatim poſteriori tempore Latini ſermonis, haud raro, ſed ſingulari ſaepius numero, quaſi κατ' ἐξοχὴν dictam eſſe comoediam, lectio veterum docet; quod inde factum puto, quod, cum in tragoedia plus eſſet honoris et dignitatis, haec ſuo nomine, comoedia generaliori vocaretur; quo forte accedit, quod in fabulas, quales ſunt Terentii, ne ſatis quidem nomen comoediarum cadit cf. Hermann. praefat. ad Ariſtophan. Nub. Lipſiae MDCCXCVIIII pag. XXXVIII. Quibus ex monitis Donati iſta praefatio etiam *de fabula* inſcripta eſſe potuit. — Major difficultas eſſe videtur in Diomede. Veruntamen quod hic tantum de canticis, quatenus ſunt in comoediis, non, quomodo *agantur*, verba facit, nil oſtendendum opinor, niſi qui factum ſit, ut *cantica* nominatim in comoedia eſſe dixerit, tragoedia plane non commemorata. Ut igitur ſilentio transmittam, apud Diomedem quoque lib. 3 in capite, *quid interſit inter com. et trag.*, ex quo locus ille de canticis depromtus eſt, pariter atque apud Donatum, comoediae magis quam tragoediae rationem haberi, cantica in Graecorum tragoediis, de quo lectio unicuique facile perſuadebit, non poterant non eſſe rariſſima partim propter chorum, cujus officiis fere peragebantur, quae in canticis perſonae de ſuis aut de aliorum infortunio vel fe-

felicitate ſecum loqui debebant; partim quod, ſi cantus reſpicitur, cani ſolebant etiam alia, in quibus non ſemper lyrica erant metra, ſed interdum etiam ſenarii cf. Hermann. ad Ariſtotel. poet. pagg. 133 — 140. Sed quod de choro dixi, id in Romanam quoque tragoediam cadere oportet, ſi verum eſt, quod a nemine adhuc dubitari credo, in Romanorum quoque fabulis tragicis exſtitiſſe chorum cf. Langius *Vindic. trag. Rom.* pag. 22. not. 31, ubi ſimul laudantur, qui ea de re ſcripſerunt. Nil igitur mirum eſt, Diomedem tragoediarum cantica parum reſpexiſſe; rariſſima in tragoediis erant et minus inter partes fabulae inſigniores conſpicua; quanquam, ſi quid ex Senecae dramatibus conjicere fas eſt, ſaepius, quam Graeci, in tragoediis cantica habuiſſe videntur Romani. In comoediis contra choro deſtitutis cantica, uti apud Terent. et Plautum videmus, crebro ſunt adhibita et inprimis, quanto elegantius ſunt compoſita, tanto plus fabulis dederunt gratiae et decoris, quod a Donato in praefatt. haud ſemel monetur. Quae cum ita ſint, non miramur, quod in Senecae tragoediis, nonniſi pauca, in pluribus nulla inveniuntur cantica, melicis, quae dicuntur, metris compoſita: in Thyeſte canticum eſt 5, 2, in Hippolyto 1, 1, in Medea plus una pars Act. 4. ſcenae 2, ubi Medea verba facit, in Hercule Oetaeo oratio Ioles 1, 2 et 5, 3, ubi Alcmena naeniam canit, in Octav. 1, 1 et pars ſcenae 3, quae cum prima cohaeret, deinde 3, 2 prior pars, qua Octavia ſimulans rerum ſuarum ſtatum quaeritur. Apud Senecam plerumque in primarum partium perſonam canticum cadere videmus.

Sed quanquam tragoediarum cantica eandem in univerſum legem habuerint, quam comoediarum, haud dubie tamen non unum modo fuit in tragoediis, unde discrimen oriretur. Sic chorus, quem tragicae Romanorum quoque fabulae habebant, facillime in cauſa eſſe debuit, ut hoc illud aliter inſtitueretur; porro gravitas et major rei tragicae ſeveritas majorem ſaltationis ſive geſticulationis vetabat concitationem, qua comoedia excellebat; tum vero nunquam, opinor, aut rariſſime certe et admodum modeſte in tragoedia, utpote ab omni joci ridiculique ſpecie alienata obtinuit conſuetudo, ex qua in canticis etiam aliae ſpectabantur perſonae, a perſona canticum agente haud animadverſae, qua de re ſupra dictum eſt. Sed qualia fuerint ejusmodi ſingula discrimina, id nos neſcire, tanto minus miremur, quum pauca in univerſum ſint, quae de tragoediarum actione nobis ſunt relicta.

Hermannus *de cantico* p. XIII quaeſtionem eſſe ſcripſit, „ſemperne cantica ab aliis cantata fuerint, quam a quibus geſta exprimerentur, an interdum etiam hiſtriones ipſi ſimul et ſaltaverint et cantaverint fabulam," et poſtremo nihildum ſe reperiſſe addit, unde certo intelligi poſſet, hiſtrionem cantica interdum etiam ceciniſſe. Nec

falſo ſic ſtatuitur. Quos enim locos huc referendos putaveris, iis accuratius inſpectis alium ineſſe ſenſum facile intelliges, nec raro de cantu canticisque citharoedorum vel tibicinum accipiendi os videbis (cf. quae ſupra de ſignificc. *cant.* dicta ſunt). Attamen procedente tempore cum artem rei ſcenicae omnino, tum iſtam conſuetudinem, quae in canticis erat, ſenſim ſenſimque mutatam eſſe, vim potiſſimum exhibente pantomimorum ſaltatione, quae poſterioribus Romani imperii ſaeculis omnium animos tenebat, docemur locis e ſcriptoribus extremi aevi, qui de re Romanorum ſcenica, qualis tum erat, mentionem faciunt. Ita Donatus ad Andr. 4, 3, 1 ſuo tempore etiam mulieres in ſcena agere teſtatur, quarum vicibus olim viri hiſtriones ſint functi, hac ſcilicet mutatione profecta ex pantomimica ſaltatione, in qua mulieres quoque, *pantomimas*, ſpectandas ſeſe praebuiſſe, a nemine ignoratur. Pariter canticorum actionem Diomedis Grammatici tempore ita fuiſſe immutatam, ut non amplius alius cantaret, alius geſticularetur, ſed haud dubie nonniſi unus recitaret, in ſeqq. probabitur.

Quod vero idem Hermann. illic adjecit, ab Horatio quidem aperte cantorem et hiſtrionem eundem eſſe ſignificari, quum art. poet. 155 dicat *donec cantor, vos plaudite, dicat*, haec verba aliter explicandi viam jam praeivit Bentlej. ad Terent. Andr. 5, 6, 17, ubi ad verbum *Plaudite* haec diſſeruit: „Nota illa," quam Faernus ante verbum *Plaudite* et *Vos valete* in omnibus libris eſſe dixit, „in libris veteribus non eſt Ω ſed ω. — „Nos novam, et aut veram aut certe vero proximam, tribus verbis adferemus. Horat. „art. poet. 154 *ſi fautoris — dicat.* Nota illud *Plaudite* a cantore dici ſolere. Alius „eſt actor, alius cantor. Actores in hac Andria primarum et ſecundarum partium „*Ambivius* et *Atilius* erant. Tertiarum partium actor, utpote ignobilis, nusquam „memoratur. Cantor autem *Flaccus Claudii filius*" (ut alii, et recte, malunt, *libertus*) „qui tibiis paribus canebat, dextris et ſiniſtris. Ergo cum actores omnes ex „ſcena exirent, cantoris erat, depoſitis ex ore tibiis, *plaudite* inſonare. Ut igitur in „veteribus libris perſonae aliae notantur *PAM.*, *DAV.*, *CHREM.*; ita hic olim *CA.* „pro cantore ſcilicet: quae nota cum non intellecta eſſet, paulatim et compendii cauſa „in proximam ei formam ω degeneravit." At pace manium illius Viri inter Anglos principis critici, equidem *cantorem* hic non eſſe contendo, qui tibiis canat, ſed qui cantica ſolebat cantare, geſtum hiſtrione exhibente. Primum enim loci deſunt, quibus, qui tibiis canit, tibicen, ſimpliciter nominetur *cantor*, qui ex uſu loquendi potius eſt, qui cantu et ad modos muſicos aliquid recitat, vid. Sueton. Caligul. 54: *Idem cantor atque ſaltator*, ubi ne tibiis canere credas cantorem, Dio Caſſ. 59, 5 te monet idem narrans: ἅρματά τε ἤλασε (auriga), καὶ ἐμονομάχησεν (Threx), ὀρχήσει τε ἐχρήσατο (ſal-

tator ſive geſticulator), καὶ τραγῳδίαν ὑπεκρίνατο, quod poſtremum in anguſtius deduxit Sueton. in canticis modo cantaviſſe imperatorem dicens; add. Cic. pro Sextio 55, 118: *Qui* (Clodius) *antea cantorum* (i. e. praeconum, per contemtum) *convicio* (clamore) *conciones celebrare ſuas ſolebat, cantorum ipſorum* (in dramate et in ſcena) *vocibus ejiciebatur.* Illum vero morem, de quo modo dixi, ubique ſecutus eſt ſuis in fabulis Terentius, quanquam in Andria, ſicuti in Eunucho et Phorm. *Valete et plaudite*, a cantore pronuntiata eſſe oportet etiam verba priora, quae ad ſpectatores fiunt: *Ne exſpectetis dum exeant huc: intus deſpondebitur: Intus transigetur ſi quid eſt, quod reſtet. Plaudite.* Cum enim apud Terentium, ſecus atque apud Plautum, nunquam inter fabulae actionem ipſam ab hiſtrione ſpectatores appellentur, mirum eſſet et inſolentius, uno hoc in loco ſi id fieri ſtatueretur.

Plautus, ut aliis quoque in rebus, etiam hic differt a Terentio legibus conſtantius adſtricto. Triplici modo hic illud *Plaudite* in ſcena efferri voluit. Terentii conſuetudinem ſequitur in pluribus fabulis, ut in Milit. Glor., Rudent., Trin., Curcul., ad cujus finem memorabilis eſt nota in Helmſtad. codice adjecta et a Bothio in edit. nov. ann. 1821 in lucem protracta *cur*, quae haud dubie ſignificat *cantorem*. Pluribus verbis dictum *Plaudite* a cantore efferri puto in Amphitr. et in Moſtell. *Spectat. — date*, et Men. *Nunc ſpect. — applaudite*, Perſ. *Spectatores — plaudite*, Stich. *Vos — comiſſatum.* In Truculento duplex eſt illa clauſula, ex duplici haud dubie editione. Altera ratio eſt, qua grex ſive *caterva* hiſtrionum prodit in ſcenam et nonnullis verſibus ſe commendat. Hic ceterorum, qui in ſcena aderant, hiſtrionum nomine unus verba fecerit verſusque paucos illos recitaverit neceſſe eſt. Ille ſignificatur in Codd. quibusdam, in quibus illi clauſulae aut juxta nomen *gregis* vel *catervae* aut ſola praefixa legitur inſcriptio *Recitator*, cf. Taubmann. ad fin. Captivv. Illum *recitatorem* eundem eſſe facile crediderim cum illo *Cantore*, qui cum ipſe, utpote cantica pronuntians cantu ſuo, hiſtrionibus adnumerandus ſit, nil eſt quod demiremur, illum prima perſona pluralis numeri loqui et catervae ſive gregi ſe adjungere. Plerumque in illis vſſ. paucis, quos dicit ille recitator praeſente cetero hiſtrionum grege, jocoſius exitus fabulae reſpicitur. Comoediae, quibus hac ratione illud *Plaudite* ſpectatoribus acclamatur, ſunt Aſin., Capt., Caſin., Epid., Bacch.; quibus addo Poenul., in qua ultimos verſus quatuor *Multum valete — comoedia* eodem modo recitatos puto. Contra in Ciſtell., quae *Catervae* nomine inſcribuntur, cum hiſtriones, qui ultimi ſcenam reliquerunt, adeſſe negentur, neſcio an a ſolo recitatore ſint dicta. Denique illud *Plaudite* vel ſimilem ejusdem poteſtatis clauſulam dicit, quae perſona ultimum loquitur

haud raro primarum partium, cum cetera oratione quodammodo cohaerentem, et verbis jocularibus aliquot ad ſpectatores jam ante factis. Gregem fuiſſe praeſentem patet ex Pſeudol., ubi legimus *hunc gregem.* Ita factum eſt in Perſ., Mercat., Pſeudol., Poen., Rudent. His ita conſtitutis, ut verbo redeamus ad locum Hor. *donec cantor, Vos plaudite,* dicat, ex noſtra explicatione tantum abeſt, ut *cantorem* eundem eſſe cum hiſtrione inde probetur, ut mos ille Romanorum, quo *cantica* ab alio canebantur, ab alio geſtu repraeſentabantur, illo etiam magis ſtabiliri et confirmari videatur.

Ex eadem vero conſuetudine, qua in canticis, alio cantante, geſtum tacitus in ſcena faciebat hiſtrio, tum rem pantomimicam Auguſti tempore, tum certamina muſica Neronis maxime aetate orta eſſe ſatis notum eſt. Diſerte et pluribus hoc docet Diomedes Putſch. 489: *Primis temporibus omnia, quae in ſcena verſantur, in comoedia agebantur. Nam Pantomimus et Pythaules et Choraules in comoedia canebant* (per zeugma huic verbo ineſt *agebat* de Pantom.). *Sed quia non poterant omnia ſimul apud omnes artifices pariter excellere, ſi qui erant inter actores comoediarum pro facultate et arte potiores, principatum ſibi artificii vindicabant. Sic factum eſt, ut, nolentibus cedere mimis in artificio ſuo ceteris, ſeparatio fieret reliquorum. Nam dum potiores* (et pantomimi et muſici) *inferioribus* (et imperitioribus artificibus), *qui in omni ergaſterio* (i. e. grege hiſtrionum; *magiſterio* leg. all.) *erant, ſervire dedignabantur, ſe ipſos a comoedia ſeparaverunt: ac ſic factum eſt, ut, exemplo ſemel ſumto, unusquisque artis ſuae rem exequi coeperit neque in comoediam venire. Cujus rei indicia produnt nobis antiquae comoediae* (in didascal. Terent.), *in quibus invenimus: Acta tibiis paribus aut imparibus, aut ſerranis. Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, i. e. choraulicis artifex concinebat. In canticis autem Pythaulicis reſponſabat.* De hujus loci explicatione amplius diſſerui in libello *de actibus et ſcenis apud Plautum et Ter.* Guben. 1813 p. 12, ubi quae ſcripſi, quanquam omnium me nondum poenitet, ſunt tamen, quae partim aliter nunc accipi velim, partim adjecerim. Ante omnia monendum, etſi ab initio Diom. dicit, Tarquinium Suetonium teſtem ſibi eſſe, de Suetonii tempore per imperf. loquentem grammaticum ſignificare, ſua aetate aliter inſtitui comoediae actionem. Quod hic dicit, quaecunque in ſcena, i. e. in ludis ſcenicis, verſantur ſive locum habent et oculis auribusque repraeſentantur, olim in comoedia juncta fuiſſe, haec pertinent ad tibicinem et ad cantum et ad geſticulationem; quippe quae tria, tibiarum uſus, cantus, ſaltatio, ſimul erant in canticis. Nec mirum eſt, quod hiſtrionis voce canentis mentio hic nulla eſt; neque enim, licet Diomede vivente in pejus mutata fuerit fabularum actio, nec amplius in co-

moedia conſpecti ſint pantomimi geſticulantes et tibicines tibiis modos regentes, ſine *vocis* uſu et cantu quodam exiſtere potuit comoedia. Cum vero, ut ſupra jam monitum, Rom. comoedia choro caruerit et *choraules* nihilominus in ea ceciniſſe dicatur, choraulicas tibias, quibus, ut nomen ipſum teſtatur, in choro utebantur, quippe grandioris et vehementioris ſoni, quales fere erant dextrae, etiam in canticis, prouti argumentum et affectus poſtulabat, adhibitas eſſe putaverim. Nam cum ad finem hujus loci idem Diom. addit *Quando enim — reſponſabat,* in his et in ſubſeqq. de *ſynodio* i. e. choro, quae huc non transſcripſi, confuſius a Diomede de vetere Graecorum comoedia cogitatum eſſe olim jam judicavi. *Pantomimum* vero ſive geſticulatorem, atque *pythaulen* et *choraulen*, ſive tibicinem et pythaulicis et choraulicis tibiis canentem ex uno eodemque hiſtrionum grege *primis* illis temporibus fuiſſe, docent quae ſubjecta ſunt: *Sed quia — ſeparaverunt. Mimi* ſunt hiſtriones ab alio cantata geſtu effingentes, qui cum cedere nollent et poſtponi ceteris hiſtrionibus, effectum eſt, ut comoedia plane ſe abdicarent. Quo facto mimus arte ſua excellens animum induxit, ut ſolus per ſe artem ſuam exerceret, pantomimicam; id quod deinde, magis ſub Neronis tempore, etiam rei muſicae peritiores fecerunt, ut tibicinum et alia dehinc certamina muſica ſurgerent in ſcena per ſe exhibita. At quaeritur, quomodo, re ita geſta jam Suetonii tempore, comoediae ſint actae tempore, quo Diomedes ſcribebat, circa annum P. N. C. 420. Ni omnia me fallunt, ad recitationem fere ſolam comoedia relapſa erat ab omni cantu et pantomimica geſticulatione abalienata; id quando eſſe coeperit, neſcire me fateor, haud dubie ſenſim ſenſimque, quando res dramatica magis et magis deterior fieri incepit et evaneſcere, minus a populo amata cf. Pet. E. Müller *de genio aevi Theodoſiani* tom. II. pag. 139 ſin., qui admodum docte et copioſe de pantomimica arte, nec tamen de ejus initiis et origine diſſeruit.

Videmus igitur, in Romanorum conſuetudine, qua in fabulis et nominatim in comoediis partes ab alio cantu, ab alio geſtu, ab alio tibiis in ſcena agebantur, primam et potiſſimam fuiſſe cauſam originemque ſaltationi iſti pantomimicae, quae Auguſti tempore orta mox omnes ceteros ludos ſcenicos opprimere coepit, cf. Lucian. περὶ ὀρχήσεως, Senec. controverſſ. edit. Bip. lib. I praefat. et excerpt. Contr. lib. III pag. 397 ſin., Du Bos *de poeſi et pictura* lib. 3. c. 16, Müller *de aevo Theod.* tom. II pag. 126 et 133 ſeqq., add. p. 103. At primis hujus artis initiis cantica potiſſimum et ſola fere, et quanquam potiſſimum, non tamen ſolis, quippe in quibus minus gravibus et ſeveris incitatior locum haberet ſaltatio, ex comoediis, ſed etiam ex tragoediis, et Rom. et Graec., a pantomimis ſaltata eſſe, etiam ea de cauſa affirmandum vi-

detur, quod, ut ſeqq. magis intelligetur, vehementior canticis inerat animorum commotio, concitatae geſticulationi aptior; et deinde quod in ſcriptoribus, qui primi hujus ſaltationis mentionem faciunt, non de pluribus pantomimis, qui, ſicuti poſteriori tempore, ut Appuleji (vid. Metamorph. 10, pag. 954 ed. Lugd. 1604), ſimul agerent et ſaltarent, ſed de *uno* tantum eſt ſermo, etſi totam fabulam agente (cf. Müller *de aevi Theod. g.* p. 110), ut apud Sueton., ex quo qui unus de pluribus pantomimis ſimul agentibus laudatur locus Calig. 57, eum de mimis accipiendum jam alii viderunt. Atqui non *unus* totam ageret fabulam, niſi ex canticis, ex *μονῳδίᾳ*, primum prodiiſſet pantomimi ſaltatio. Jam, puto, intelligitur, qui factum ſit, ut in re pantomimica *canticorum* tam ſaepe, etiam poſteriori aetate, uti Chryſoſtomi, Caſſiodori, fiat mentio. E *cantico* nominatim comoediae cum pantomimi eſſent orti et profecti, nomen cantici paene perpetuum et ſolemne transferebatur, etiam cum alia, quae cantica nuncupare minus erat fas, a pantomimis agerentur. Quanquam idem neſcio, an recte adjiciam, in locis, ubi cantica a pantomimo acta leguntur, fere plurimis, ipſum cantici, quodcunque ſaltari dicitur, argumentum ſimul ab alio decantatum et recitatum mihi videri, cf. Müller *de aev. Th. g.* pag. 123 ſeqq. et 121; id quod pluribus probare et oſtendere nunc nec velim nec poſſim; addere ſufficiat, in hanc ſententiam traduci poſſe voc. *ὑπόρχημα*, quod a Libanio *pro ſaltat.* aliisque plus ſemel de iſtis canticis, quae a pantomimis ſaltantur, dictum eſt; *ὑπόρχημα* enim fuit carmen, quod et canebatur voce ac tibiis, et ſaltabatur; cf. Langius *vindic. trag. Rom.* p. 27 et Genelli *Das Theater zu Athen* pag. 106 not.

Ne vero, quod ſemel promiſi, in eo, nomine haud ſoluto, nonniſi verba dediſſe videar, per lectorum benignitatem veniamque mihi liceat, hoc loco, quo fere jam abſolvi, quae de cantico in univerſum dicenda videbantur, breviſſimum et tanquam obiter propoſitum de *perſonarum* uſu apud Romanos inſerere excurſum, licet ipſe non ignorem, minus cum cauſa, quam in hoc libello tractandam ſumſi, quaeſtionem de perſonis cohaerere.

Perſonis, vulgo larvis dictis, conſtanter Romanos in ſcena uſos eſſe, vulgo creditur, vid. proluſ., quae Boettigerum, V. D., habet auctorem *De perſonis ſcenicis ad locum Terent. Phorm.* 1, 4, 32. Vimariae 1794. Neque negari poteſt, non pauca eſſe, quibus firmiſſime haec ſententia ſtabilita et quaſi munita putetur. Veteres, qui de perſonis mentionem injiciunt, loquuntur in univerſum, minime ſignificantes, ullo tempore hunc morem non fuiſſe receptum. Mulierum partes, ut notum, a viris ſuſcipi ſolebant; quod ſine perſonis fieri non poterat. Similiter perſonae aetatibus omnino et

moribus legibusque certis, quae e. g. de forma et facie erant hominum, qui ſaepenumero in ſcena repraeſentabantur, aptari poterant. Majora erant veterum theatra, quam ut ſolius vocis ſoni ubique a ſpectatoribus percipi poſſent; quid igitur magis optari debuit, quam ut artificium quoddam vocem hiſtrionis naturalem augeret; id quod fiebat per *perſonas*, quarum cavitatibus circa os effectis voci, in unum exitum collectae et coactae, claritas addebatur, cf. Boettiger. *de perſonis* pag. 7 not. Porro in figuris ex Terentii cod. depromtis perſonati omnes apparent actores in omnibus ſcenis, vid. Bergeri *Commentatio de perſonis,* 4. Francofurti et Lipſiae 1723. Metaphorica tandem voc. *perſona* poteſtas in ſermone latino tam late patet, ut perſonarum uſum non poſſimus non tritiſſimum habere.

At quanquam haec ita ſunt, nihilominus inveniuntur loci, qui, licet artificioſius explicentur, de perſonarum uſu perpetuo et per omne tempus recepto parum teſtantur. Apud Diomedem gramm. lib. 3. pag. 486 ed. Putſch. haec leguntur: *Antea galeris, non perſonis utebantur, ut qualitas coloris indicium faceret aetatis, cum eſſent aut albi, aut nigri, aut rufi. Perſonis vero uti primus coepit Roſcius Gallus, praecipuus hiſtrio, quod oculis obverſis erat, nec ſatis decorus ſine perſonis* (ſic enim recte ſcriptum cenſeo a Langio *Vind. trag. Rom.* pag. 43 pro *in perſonis*), *niſi paraſitus pronuntiabat.* Ex hoc loco intelligitur, *antea* i. e. antiquiori tempore non perſonis uſos eſſe hiſtriones, ſed *galero* i. e. operimento capitis rotundo et cavo, a *galeae* ſimilitudine dicto. Neque falſo hoc narratum, teſtatur Cicero de orat. 3, 59. §. 221: *Sed in ore ſunt omnia. In eo autem ipſo dominatus eſt omnis oculorum: quo melius noſtri illi ſenes, qui perſonatum, ne Roſcium quidem, magnopere laudabant;* ad quem locum Schütz. in lexico Cicer. ad voc. *perſonatus* haec habet: „Ex hoc loco colligitur, „perſonarum uſum in ſcena Craſſi demum tempore invaluiſſe, et Roſcium nonnunquam „haud perſonatum egiſſe, ita ut omnes oris vultus conſpicerentur." Confirmatur eadem res Feſti loco, etſi alioquin paullo confuſius minusque vere ſcripto, ſub voc. *Perſonatus: Perſonata fabula quaedam Naevii inſcribitur, quam putant quidam primum a perſonatis hiſtrionibus* (actam). *Sed cum poſt multos annos comoedi et tragoedi perſonis uti coeperunt, veriſimilius eſt, eam fabulam propter inopiam comoedorum actam novam per atellanos, qui proprie vocantur perſonati.* Donatus denique in fragmento *de comoedia et trag.* narrat: *Perſonati primi egiſſe dicuntur comoediam Cincius et Faliſcus: tragoediam Minutius et Protimus* (alii *Prothonius*). Cujus ultimi loci ultima, quae leguntur, nomina *Minutius* et *Protimus* redeunt in didascalia Terentii Adelphis praepoſita, ſed *unius* hominis, ut gentile ſit cum cognomine. Cujusmodi

appellationem histrionum vulgarem fuisse cum doceant Terentii didascaliae, nullus dubito apud Donatum scribendum suadere *Cincius Faliscus, Minutius Protimus,* praesertim cum voc. *primi,* quod antecedit, magis unum, quam duos, utrobique exspectari jubeat. Sed alia, ut statim in Donati loco subsistam, oritur quaestio, num, quem Donatus primum dicit in tragoedia personis usum esse, Minutius Protimus fuerit idem, qui in didascal. Terent. ad Adelph. nominatur. Ex temporum ratione negandum censeo. Adelphi sunt editi a. P. U. C. 595; Roscium circa annum P. U. C. 625 natum esse, probabiliter a Fraguerio demonstratur in vita Roscii Comoedi (*Memoires de Literature* tom. 6. p. 119). Jam vero cum et Cicero et Diomedes hunc Roscium personis primum in scena usum esse dicant, ne his repugnent, quae Donatus refert de Cincio Falisco et Minutio Protimo, ipse cum Langio *Vind. Rom. trag.* p. 19 probo, quod statuit Reuvens. *Collect. Liter.*, Lugdun. Bat. 1815 p. 14, Roscium ob proprium oculorum vitium, qui perversi erant, privatum hoc sibi sumsisse, imitatos vero esse in personarum usu, ut transiret jam ad totum gregem, in tragoedia Minutium Prot., in comoedia Cinc. Fal. Cum paullo igitur juniores Roscio hi fuerint necesse sit, quidni Minucium Protimum, quem Donatus memorat, filium opinemur Minutii Protimi, qui est in didasc. Terentii? Sic omnia optime sibi respondent.

Itaque ni omnia me fallunt, cum Roscius circa annum 625 natus esse videatur, et dialogum, qui est in libris *de oratore,* Cicero adscripserit anno 662, circiter a. 650 mos invaluit apud Romanos, personis in scena utendi.

Nec omni tamen omnino personarum usu tempore priori artem scenicam caruisse, putandum est, cum sine iis nec foeminarum partes a viris suscipi, nec Amphitruones Sosiaeque gemini, aut Menaechmi fratres gemelli repraesentari potuissent: quanquam idem dubium esse non puto, in personis hujus antiquioris aevi longe minorem artem exstitisse, fortasse cum galeris quodammodo fuisse conjunctas et nominatim caruisse artificio, quo vocis claritas augebatur; neque enim hujus aetatis theatra tanta erant, quanta posteriori ex lapidibus exstruebantur. Accedit, quod, ut supra e Festo didicimus, jam *Naevius personatam* inscripsit fabulam, quae qualiscunque fuit, a *personis* certe nomen accepit, non ab Atellanis, qui proprie vocarentur *personati,* ut parum docte et accurate Festus adjecit.

Contra, quod quidem Plauti et Terentii tempora usque ad L. Crassi aetatem attinet, proprie, i. e. ita, ut de personis non cogitetur, accipi debent e. g. verba Terent. in Phorm. 1, 4, 32:

Quid

Quid si adsimulo, satin est? Garris. Voltum contemplamini: em,
Satin est sic? Non. Quid, si sic? Propemodum. Quid si sic? Sat est.

et quotquot aliis in locis apud Pl. et Ter. simili modo sermo est de oculis et vultu in scena agentium, cf. Cic. de orat. 3, 59, §. 122. Quanquam etiam cum personati erant histriones, oculorum conspectu non omni caruisse videntur spectatores cf. Cic. de Orat. 2, 46: *Quum ex persona mihi ardere oculi histrionis viderentur.*

Cum vero perpetuum in usum semel receptae essent personae, iis admodum favisse Romanos tum histriones, tum spectatores, patet ex eo, quod mirum quam frequenter voc. *persona* per metaphoram in sermone Romanorum usurpari coeptum est, quod prior consuetudo, *galeris* in scena utendi, brevi prorsus in oblivionem abiit, ut nonnisi paucissima sint relicta vestigia, et quod tandem turpe et ignominiosum habere inceperunt, si quis histrio a spectatoribus personam deponere cogeretur, vituperia scilicet, et convicia, quod rem et partes suas male egisset, a populo accepturus; quod docet Festus in voc. *Personatus: Atellani proprie vocantur personati, quia jus est iis non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est.* Sed nisi quid me fallit, personas deponebant histriones, cum ad finem fabulae modo actae in scenam redibant *Plaudite* spectatoribus acclamaturi. Nisi enim in hunc sensum explicatur locus Petron. Satyr. cap. 80 supra jam laudatus:

Grex agit in scena mimum, Pater ille vocatur,
Filius hic, nomen Divitis ille tenet:
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes;
Vera redit facies, assimulata perit.

jejunitatis et frigoris plurimum ei inesse judico; ut similiter ne omni sale et facetiis sint destituti versus de Roscio apud Cic. de natur. deor. 1, 28:

Constiteram, exorientem auroram forte salutans,
Cum subito a laeva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, coelestes, dicere vestra,
Mortalis visus pulchrior esse deo.

de theatro intelligi suaserim et de scena, in quam tempore matutino Roscius partes suas acturus modo ingreditur. Aulaeis demissis quasi *exoritur,* ut Ovid. Metam. 3, 111 actores *surgere* dicuntur. Sed haec hactenus: redeo ad id, unde sum evagatus.

Cum igitur jam in eo sim, ut singula Plauti et Terentii cantica persequar et recenseam, ante omnia in quaestionem vocandum est, num quaecunque in utroque reperiuntur μονολογίαι, *canticis* annumerari debeant; id quod facilius erit cognoscere, si ante quaesitum fuerit, quibus indiciis canticum dignosci possit debeatque.

D

Marius Victorinus *de arte grammatica* lib. II, et, qui hunc exſcripſit, Rufinus *de metris comicis*, pagg. 2524 et 2708 ed. Putſch., haec habent: *Quod vero ad clauſulas, i. e. minuscula cola pertinet, quot genera verſuum ſunt, totidem membra pro clauſulis poni poſſunt, et ſolent in canticis magis, quam diverbiis, quae ex trimetro magis ſubſiſtunt, collocari, et praecipue apud Plautum et Naevium et Afranium. Nam hi maxime ex omnibus membris* (ſcribendum hic eſſe *generibus*, ſuperiora docent) *verſuum, colis ab his* (verſibus) *ſeparatis, licenter uſi reperiuntur in clauſulis.* Clauſulae quae ſint, optime docet Hermannus *in elementis doctr. metr.* lib. II c. XVIII, p. 180 ſeqq., ut nil addam, niſi clauſulas nonniſi locum habere, ubi fabula incipiat eſſe motoria, ubi animorum affectiones convenire ſibi velint metrum et varium et inaequale et magis melicum lyricumque, quod ipſe Rufinus ſignificat dicens in canticis magis collocari clauſulas, quam in diverbiorum trimetris, in quibus apud Plautum quidem et Terentium ne ſemel quidem clauſulam inveniri memini. Ut porro pateat, cujus generis metra canticorum ſint propria, faciunt, quae docet Hermann. *elem. doctr. metr.* pag. 169: *Nusquam frequentius, quam in canticis, iisque locis, qui magnos animorum motus habent, mutari numeros videas;* cf. Bothe in edit. Plaut. anni 1821 in conſpectu metrorum pag. XXI. lin. 10. Huic vero metrorum varietati et mutationi multiplici in canticis reſpondeat neceſſe eſt dictionis et ſententiarum gravitas et pondus, impetus et ardor; ut omnino in concitatiorem animi commotionem, ſive per laetitiam ſive per triſtitiam exorta ſit, metrorum inaequalitatem illam et alacriorem decurſum cadere oportet. Nec falſo ſic ſtatui et a vero aberrari, probant veſtigia apud veteres. De plenioribus magnificisque, quae in canticis exſurgant, verbis et dictionibus cogitare nos jubet Quintil. Inſt. 11, 3, 167 ſcribens: *Pleniore tamen haec canali fluunt Vos, Albani tumuli atque luci. Jam cantici quiddam habent ſenſimque reſupina ſunt: Saxa atque ſolitudines voci reſpondent,* ubi adj. *reſupina* etſi moneat de mollitie quadam, non tamen ultra modum aucta cf. Quintil. Inſt. 5, 12, 10, ſimul tamen ſuperbiam orationis et magniloquentiam ſignificare videtur cf. Ovid. Met. 6, 275 et Sen. Epiſt. 80 med. et de Benef. 2, 13.

Sed ipſa haec duo ſunt ſola, quibus canticum a diverbio diſtinguamus, *argumentum* et *metrum.* Quod enim apud Graecos accedit tertium, quo, quae ſunt in fabulis canenda, diſtinguantur ab iis, quae recitantur, *dialectus,* non cadit in Romanorum ſermonem. Si porro opinemur, etiam eo ſignificari et oſtendi cantica, quod nonniſi ſint acta ab hiſtrionibus aut primarum aut ſecundarum partium, id ſecus eſſe, mox videbis, ſi cantica in Plauto et Terentio inveſtigare conatus fueris. Neque de loco, in quo

in fabulis cantica collocarent, legi certae adſcriptos fuiſſe poetas, minus mirari licet, cum liberiores ſint in tractando argumento, ex cujus ingenio et natura modo ab initio, modo a fine, modo medio in dramate animorum motus naſci poterat, ut ubique recte potuerint collocari cantica, interdum ita, ut etiam plura invicem ſe exciperent.

At quaeratur tamen oportet, qui factum ſit, ut Plautus illam cantica agendi conſuetudinem, qua alius canebat, alius geſticulabatur, in ſcena et in actione dramatum ſatis notabilem nusquam in fabulis tetigerit eique alluſerit, et canticum ipſe tali modo hic illic ſignificaverit; et contra, quando cantici mentio injicitur, ut in ſeqq. videbimus, verbis uſus ſit vulgaribus, *loqui, fabulari:* cum idem, quae ejus eſt licentia et libertas comica admodum effuſa, in fabulis ſuis comoediam ſcribere ſe adeo oblivīſci ſimulaverit, ut comoediae ipſius et comicorum actorum rerumque in comoedia faciat mentionem facetias inde et jocos repetens; vid. Capt. 4, 1, 11: *Eodem pacto, ut comici ſervi ſolent;* Poenul. 3, 2, 20: *Agite, inſpicite; aurum eſt. Profecto, ſpectatores, comicum eſt;* Stich. 5, 4, 9: *Lupilli comminuto cruſtulo* cf. Horat. Epiſt. 1, 7, 23; Pſeudol. 4, 6, 19: *Nugas theatri, verba, quae in comoediis ſolent lenoni dici, quae pueri ſciunt;* Perſa 4, 2, 4: *Tragici atque comici nunquam aeque ſunt meditati;* Poenul. 3, 2, 4: *Quin aedepol condoctior ſum, quam tragoedi aut comici;* Mil. Glor. 2, 2, 58: *Euge, euge, euſcheme hercle adſtitit, et dulice et comoedice;* Bacch. 2, 2, 35 ſeqq: *Non herus, ſed actor mihi cor odio ſauciat; etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque, ac me ipſum, amo, aeque invitus ſpecto, ſi agit Pollio,* ubi hiſtrio etiam ex poetae perſona loquitur; Trinumm. 3, 2, 8: *Vicit tua comoedia; hic agit magis ex argumento et verſus meliores facit;* Caſin. 5, 1, 6: *Nec fallaciam aſtutiorem ullus fecit poeta, atque ut haec eſt fabre facta a nobis.* At quemadmodum a veſtitu hiſtrionum, quamvis legibus adſtricto, nusquam jocos Plautum, repetere memini (nam *ſoccus* Ciſtell. 4, 2, 29 eſt vulgaris, non ille *comicus*), neque jocoſius unquam notat apparatum ſcenicum, ita de illa factum eſt conſuetudine. Domi, non in theatro, fabulas conſcribebat, nec ante oculos vividius obverſabantur, quae ſcena oſtendebat, cum fabula ageretur.

Hermannus jam in libello *de cantico* pag. X. lin. 18 vere monuit, cantica a diverbiis diſtinguere in Plauto plerumque facilius eſſe, quam in Terentio; neque cur ita ſit, abdite cauſa latet. Hoc enim ipſum, quo a diverbiis cantica dignoſcuntur, Plautus multo magis habet, quam Terentius, majorem tum in animorum affectione, tum in metri uſu et mutatione vim pondusque, gravitatem motumque. Aliis virtutibus commendatur Terentius; hoc quidem nomine praeſtat Plautus, neque pauca, ſi nomina-

tim metrorum usum et virtutem animadvertisset Heinsius, in ejus dissertatione *ad Horatii de Plauto et Terentio judicium* aliter, opinor, essent exposita. Quemadmodum enim Plauti comoediae sunt in universum magis motoriae earumque actio alacerrima concitatione agitatur et propellitur, ita versus tantam praebent varietatem et vicissitudines, ut, quanquam in eadem hac numerorum variatione et vicibus, modo ne ambitiosius, ut Horatius de art. poet. 270 fecit, Graecorum literas earumque indolem et naturam ubique desideremus, vera fuerit gratia et elegantia, tamen sit difficillimum in numeros suos et metra redigere Plautum, praesertim cum, quod negari nequit, et librariorum medii aevi et veterum grammaticorum culpa, qui metricam Romanorum artem antiquiorem aut plane non callebant, aut intelligere sibi visi, legibus haud satis perspectis, pro arbitrio et ad libitum mutabant et mutilabant, quidquid ipsis displicebat, Plautum haud mediocriter interpolatum et corruptum habeamus. Accedit, quod antiquo jam tempore, quo adhuc in scena edebantur fabulae Terentii et maxime Plauti, interpolationem non exiguam perpessas esse verisimile est, tum ab actoribus ipsis, tum ab aedilibus, qui ludos scenicos instituendos curabant; cf. quae *de caussis Plautinarum fabularum interpolationis* disseruit Osann. *in analectis crit.* Berolini 1816, cap. 8. Itaque in compluribus locis, potissimum in canticis illis difficilioris metri quid faciendum sit, saepissime etiam qui acerrimi est judicii et sagacitatis, plane nescit dubiusque circumspectat copiosa lectionum, quas dicunt, variantium paene oppressus. Ita judicat ipse Hermannus in *elem. doctr. m.* in epist. dedicat. ad Blümnerum pagg. XIX et XX: *Multo autem majores in Plauto superandae sunt difficultates, non solum propter magnam scripturae depravationem, quae ex parte antiquis quibusdam correctoribus deberi videtur, sed etiam propter metrorum miram varietatem, conjunctam cum incredibili licentia prosodiae. — Sed vel sic tamen neminem, qui Plautum tractaverit, nescire arbitror, quam plena periculi res sit, certi quid de metris hujus scriptoris, praesertim in canticis, pronuntiare. Quo minus, quae de Plauti quibusdam locis disputavi, sic a quoquam accipi velim, ut ea non rectius fortasse constitui posse sperem.* Itaque optime de Plauto meritus est Bothius, qui Plautum primum anno 1809 — 11, deinde iterum 1821 ita recensuit, ut metra ubique constituere conatus sit. Quo de conatu licet ab aliis aliter judicetur, est tamen aliquid, adeo difficili in re viam praecessisse; qui sequuntur, eo facilius incedunt, quo asperiora viam monstranti fuerunt superanda. Nec potest non admodum probari ratio, quam ipse iniit Vir Doctissimus, in praefatione prioris editionis tom. 4. pag. VI propositam: *Sic autem fecimus. Inter percensendas poetae fabulas, quidquid novi in formis metricis*

praeberent cantica et eorum similes loci alii non pauci, diligenter annotavimus, nec quidquam de singulis decernendum arbitrati sumus, antequam, quae ad eundem modulum dimensa viderentur, collegissemus omnia cum iisque contendissemus. Quod autem inprimis melius de Bothii meritis in Plautum existimare nos et judicare jubet, in posteriori anni 1821 edit. Plauti etiam magis, quam in priore, ubique et constanter Latinae linguae accentum, quippe Romanae prosodiae *veteris* solum fere ducem et moderatorem, respexit abstinuitque audacia ista, quae librorum MSS. vestigia aut non, aut parum secuta confidentissime mutat, quidquid metro repugnat, quod constitui jussit opinio semel concepta. Minus nocet habere versum, cujus mensura nondum hucusque innotuerat, quam qui ex analogia sit aliorum, sed per audacissimas mutationes vel adversus accentum consarcinatus. Nuper promisit Frieder. Lindemann. in edit. sua *Plauti comoediae tres etc.* Lipsiae 1823, dissertationem *de accentu linguae Latinae* mox evulgaturum se esse; cui promisso ut stet Vir Doctissimus, eo magis optandum, cum, quo majore difficultate laborat res, eo largior ex accurata ejus tractatione fructus et utilitas sit exspectanda.

Sed ut redeamus, quanquam metris incitatioribus, ut tetrametris, et maxime melicis, i. e. creticis, bacchiacis, anapaesticis, interdum etiam choriambicis et glyconeis et aliis continentur cantica, diverbia magis subsistunt senariis, tamen ut haec saepissime ad tetrametros, et troch. et jambicos, transeunt nec raro vehementissimam animi commotionem ostendunt, sicut Adelph. 5, 3 ibique vid. Donat. ad vs. 9, et Phormion. 2, 2; ita ne in canticis quidem, senariis abstinuisse dramaticos, nescio an hic ille sibi persuadeat, in iis quidem, in quibus per mitiorem animi affectum efferuntur, quae pectus et mentem agitant. Nam quae pectore sentiuntur et moventur, his potissimum consistere canticorum argumentum supra jam monui. Pariter in Graecorum fabulis interdum senarii canuntur, cf. Hermann. ad Aristot. art. poet. pag. 136. Neque est, quod ita credenti acrius repugnem. Nam quemadmodum ratio sic statuendi per se minime a verisimilitudine abhorret, ita passim et in Ter. et in Plauto reperiuntur loci, qui quum senariis sint conscripti, ab unoque pronuntientur et in animi pectorisque sensibus argumentum suum habeant, non semel ipse haesitavi, canticisne adnumerarem nec ne. Utcunque res sese habet, in hujusmodi locis summa cautione utendum esse judico, et magis dubitandum quam affirmandum. At ubi nonnisi commemorantur, sive simpliciter, quasi spectatoribus ipsis, nuntiantur res et proponuntur, quae, ad fabulae argumentum pertinentes, aut factae sunt, aut fiunt, aut fient, licet unus tantum et solus in scena loquatur, ibi non de cantu et gesticulatione inter duos divisis co-

gitandum est, sed de unius recitatione, etiamsi versus sint tetrametri sive jambici sive trochaici. Similiter canticum non erit quod esse credamus, quando paucos versus, ut septem, octo, novem, persona, aut scenam modo ingressa, antequam alia accedit, aut a ceteris modo relicta, antequam ipsa abit, sola pronuntiat. Etiam hic, ut semel moneatur, licet versus sint tetrametri, nonnisi recitatur.

His praemonitis, ipsa Plauti et Terentii cantica singula persequar, ab illo initium faciens, quia tum tempore prior est, tum faciliorem ostendit viam, quam Terentius, etsi hujus commentator Donatus pauca de canticis in praefationibus monuit. Quo in negotio quando falsus fuero, id quod saepenumero eventurum bene scio, lectores docti, rogo oroque, aequi sint et benigni judices. Quo enim res est impeditior, eo fidentius posse me in eo acquiescere judico, si, quanquam erravero, tamen in causa sim, ut alii me peritiores rectius iisdem de rebus et locis statuendi inde occasionem nanciscantur. Rem metricam accuratius percensere et persequi cum longum sit, satis plerumque esse duxi, si in universum quale versuum genus in quoque cantico maxime locum habeat, indicaver. Semel hic moneo, Plauti usum me editione Taubmanni 1612, Terentii ed. Bentleji.

In Amphitruone,

qua fabula Jovem delectari et mitigari credebant Romani et quam, haud dubie festis diebus Jovi sacratis, adhuc editam fuisse tempore Diocletiani scimus ex Arnobio adv. Gent. lib. VII: *Ponit animos Jupiter, si Amphitruo fuerit actus pronuntiatusque Plautinus* (cf. Amphit. 5, 3, 3 *Jovis summi causa clare plaudite)*, statim act. 1., sc. 1, cum, praesertim ab initio, colorem orationis magis festivum et grandiorem affectet, per canticum in scenam intrare puto Sosiam, sed ex iis, quae supra sunt disputata, nonnisi versibus 1—21, ubi admodum concinne generaliori sententia finiuntur, quae cantantur. Querelas fundit Sosia de duriore servitute, qua heri intemperiis prematur. Mercurius tacitus interest. In sequentibus, inde a vs. 25, interloquente Mercurio nec animadverso, Sosiae est expositio de rebus bello gestis admodum evidens et vivida, cujus elegantia mirum quam vss. creticis adjuvatur, quorum celerior decursus convenit cum rerum celeritate. Cantici metra optime constituisse videtur Hermannus *elem. doctr. metr.* pag. 103, 393 et 459 non modo ob summam facilitatem, verum ea quoque de causa, quod pauciora hic mutare debuit. Tetrametros jambicos excipiunt anapaesti; sequuntur tum ionici a majori cum sotadeis, ut elegans appareat quasi ascensus. In seqq. nescio an quae Mercurius, dum Sosia audit et de auditis secum verba facit, superbius de sua vi et pugnorum pugilatu jactat vss. 146—179, similiter per canticum acta videantur; quam in sententiam, ut de aequalitate taceam, qua sicut supra Sosia, nunc Mercurius canticum agat, potissimum adducor eo, quod vehementissima hic necessaria est gesticulatio. Si cui nimis forte concisa et abrupta videatur oratio Mercurii, videat, annon id ipsum cum gesticulatione congruat, quae a Mercurio hic exspectari debuit. Nec ab omni tamen parte dijudicare ausim. — Quae subsequitur scena, nil est nisi posterior pars prologi ad spectatores, ad quem Mercurius ipse respicit vs. 17: *nunc de Alcumena dudum quod dixi minus;* prologo enim narrantur, quae facta sunt et modo fiunt; hac scena, quae per fabulam ipsam fient in Amphitruonis familia. Interrumpitur prologus jocosa altercatione Merc. et Sosiae ad actionem minus pertinente; cujus simile exemplum habemus Milit. Glor., ubi post act. 1 demum prologus legitur.

Act. 2. sc. 2. in scenam prodit Alcmena cum Thessala, quae muta est persona, quippe serva, et canticum agit vss. 1—22; post hos demum vss. Amphitruo cum Sosia ingreditur, non simul cum uxore, ut inscriptio indicat. Quum hoc canticum sit minus motorium, per totum recte, puto, Hermann. constituit unum metrum, bacchiacos, *elem. doctr. metr.* pag. 297; in hoc modo dissentio, quod ut glossema ejecit verba *id solatio est*, invitis omnibus libris, neque sensu inepto aut poscente stilo Plauti scilicet de subtiliore ista logice adeo non solliciti, ut hic illic idem repetere nullus dubitet. Retinenda sunt haec quoque verba; faciunt dimetr. cat. bacch., quem ipse Hermann. in horum versuum serie haud improbavit pag. 221 et 314, add. Epitom. Doctr. metr. pag. 112. Quam in seqq. plus semel addidit voculam *et*, reperit postea omnibus in his locis Bothius in MSS. *Vicit* ultima producta videtur excusanda per leges *veteris* prosodiae, qua syllabam finalem *it* producere erat licitum; quod in *habet* ultima est longa, majori ex interpunctione excusationem accipit, ut nil excidisse putem. — Act. 3 sc. 1 Jupiter prodit et verba facit ad spectatores senariis, eodem plane sensu et argumento, quo supra Mercur. 1, 2, ut, si oeconomiam, quam dicunt, spectemus, hoc nomine vituperandus videri possit poeta. Sed Plauti fabulae habent hoc sibi proprium, ut personae saepe, quid facturae sint, indicent, etiam ad spectatores conversae; quod nusquam fit in Terentio. In fine scenae ex aedibus progreditur Alcmena et versibus novem sola loquitur, nec tamen per canticum. — Act. 3 sc. 4, ubi Mercurius solus verba facit et Act. 4 sc. 1, ubi Amphitruo, neutrum canticum esse puto, quanquam et hic et illic metra apta videantur, ea maxime de causa, quod, ut ita dicam, magis in narratione versatur argumentum, et in priori, vs. 16, etiam spectato-

res appellantur. At in act. 5. fc. 1, 1—19 Bromiae canticum agnofco, quod, etfi certiores fiant fpectatores de iis, quae in aedibus acciderunt, tamen hoc ita fit, ut quafi per animi affectum ad levandum animi angorem a Bromia pronuntiata videantur. Tetrametris jambicis in cantico five μονῳδίᾳ, ut fcimus ex Donato ad Hec. 5, 3, 18, ipfe Terentius ufus eft. Omnia hic funt affectus pleniffima et vehementiffimum poftulant geftum. Ex eodem loco difcimus, canticum non femper a perfonis primarum aut fecundarum partium effe actas, cum Bromia ancilla fit perfona in fabula fatis pofthabita. E contrario nemo, puto, canticum effe cenfebit Jovis, qui 5, 2 ad Amphitruonem verba facit; Amphitruo 5, 3 refpondet et ita habemus diverbium. Nulla res pejus inftitui potuit, quam diftinctio fcenarum, quae ut non neceffaria per fe, ita, uti eft facta et in Plauti et in Terentio, omni diligentia et certa via normaque caret. Sic Mercat. 5, fcena 1 et 2 diftinctae funt, quae arctiffime cohaerent et unam faciunt.

In Afinaria

act. 1, fc. 2 oratio Argyrippi pro cantico habenda eft, tum ex metri, quod admodum concitatum eft, tum ex argumenti rationibus, quod acerrimam animi affectionem oftendit, utpote Argyrippo ex aedibus meretricis modo expulfo. Quod lenam quafi praefentem appellat ante fores ftans, non eft cur offendat; non adeft ipfa et prodit demum vf. 25. Cujusmodi verfus finales, quibus, ut hic, a cantico fit transitus ad diverbium et colloquium cum altera perfona, modo intrante, aut modo confpecta, extra canticum funt, ita ut hiftrio, qui proxime antecedentia faltavit, nunc fua ipfe voce uti incipiat. Cretici funt 1 — 11 tetrametri, excepto vf. 7, qui eft tetr. bacch. In vf. 4 leg. fuaferim *nunc ïam*, quod haud raro reperitur in Plauto. Etiam cretici tetr. cum apud Plautum legantur afynarteti, elifio ceffat vf. 9 *repperi hic* et vf. 11 *bene* brevem ultimam habet pro longa. In vf. 10 fyllabae *ingrata at* creticum efficere poffunt, quod, ultima voc. *ingrata* elifa, accentus in primam retrahitur. Omnes, qui fequuntur, funt troch. tetr., in quibus legendum *amens* pro *amans*, et *ifti meum* vf. 15, *magnam — gratiam* vf. 17, quo fingul. etiam frequentius Plautus utitur, quam plur. In vf. 21 arfis in ultima verbi *juffu* et elifio pron. *tuo* male me habent. Quid? fi legatur *tuo facit juffu tuópte imperio*; ut *facit*, ficut vf. 23 *quidem*, pron. *me* poft *dignam* pofito, per unam fyllabam pronuntietur. In vf. denique 26 collocetur velim *modo loquar meo*, ut *modo* una fiat fyllaba. — Act. 2, fc. 1 Libanus canticum agit tetr. cat. tr. Ceterum per totam hanc fabulam, paulo levius, opinor, a Plauto compofitam, nulla funt alia canticorum veftigia.

In

In Aulularia

act. 1, fc. 1 prius Euclio a vf. 21—27, deinde a vf. 28 — 39 Staphyla verba fecum faciunt; neutrius canticum effe puto, tum, quod fenarii funt, tum quod nihil hic animi affectio oftenditur; quaecunque dicuntur, ad actionem jamjam futuram proxime pertinent; id quod cadit etiam in vff. 27 — 41 in fc. 2 act. 1. et in 2, 7. Similiter Euclionis oratio 2, 8 pro cantico haberi nequit; praevalet expofitio eorum, quae ipfe fecerit et facere jam velit. Sed actus 3 aperitur cantico admodum concitato et metris mirum quam variato. Verfus priores quinque, ut Hermann. jam vidit *elem. doctr. metr.* p. 91, funt. tetram. tr. acat., ubi ab initio in verbis *optati cives* (i. e. cari, dilecti) arfis contra accentum cadens, quod paffim fit apud Plautum, ut in *exegit* vf. 7, hoc nominatim loco celeritate et vehementia orationis excufatur. *Cŏquĭtatum* recte fcripfit Herm., cum in *coquino* penultima producatur. *Senex* vf. 5 unam facit fyllabam, nec *perii* eliditur, cum verfus fit afynartetus. Qui fequuntur *Neque ligna — pulchrius*, et *Itaque — fuftibus*, funt jambici octonarii. Verfum vero 8 *Attat perii — adeft fequitur* accipi velim troch. tetr. acatal., ita ut *perii* non elidatur; quod licitum effe probat Vir Doctiffimus Lingius *Quaeftionum Plaut. lib. I, de hiatu*, Vratislav. 1817 pag. 25. *Mifer* enuntietur una fyllaba. Ultimus denique verfus eft jambicus tetr. catal., *geram* ob interpunctionem non elifo. — Act. 3, fc. 4 Euclionis verba canticum effe nego, utpote quibus narratio contineatur, pariterque 3, 5 Megadori orationem, quam Euclio audit non animadverfus. Nam etfi canticum mitioris ingenii videatur, cum tamen, quae hic dicuntur, iis mores tunc Romae praefentes perftringi videamus et, quanquam haud directe dicta, tamen ad fpectatores proxime pertineant, equidem hic et in fimilibus locis (e. g. Captiv. 3, 1, ubi parafitus Ergafilus fuae aetatis mores juvenum in parafitos pingit) magis parabafin Ariftophanis Plauto obverfatam putaverim. — At canticum eft Strobili fervi 4, 1, troch. tetr. catal., etfi hic fervus non primarum fit partium. — Act. 4, fc. 9 vehementiffima rerum concitatio eft et canticum aptiffime collocatum, metris varie mixtis, in quibus conftituendis tanta eft difficultas, ut haud mirum fit, quod plurimum a fe ipfo in priori et in pofteriori Plauti edit. et in commentario prioris diffentit Bothius et longe aliter metitur Hermann. *elem. doctr. metr.* p. 412. Sifenna in commentario in Aulul., ut difcimus ex Rufino pag. 2711 ed. Putfch., haec fcripferat: *Haec fcena anapaeftico metro eft, fed concifa funt, ut non intelligas.* Haec Sifennae dicta, quorum locum in Aul. Rufinus non indicat, noftram in fcenam refert Hermann., anapaeftos in ea agnofcens. Nec poffum quin in ejus fententiam abeam, cum, quae Sifenna hic dixit, in alium Aulul.

E

locum non quadrent. Legantur, quae ipſe Hermann. illic disputat. Eſt enim locus, de cujus metris conſtituendis jure meritoque desperes. Laudandi ſunt conatus.

In Captivis

I, 1 Ergaſiti oratio eſt inſtar prologi a vſ. 23, et quae antecedunt, in iis, quis et qualis ſit, paraſitus proponit. Quocum argumento cohaerent, quae idem paraſitus de iis prolixius loquitur, quae paraſitis ſint patienda a juvenibus; de quo loco jam ſupra dixi ad Aulular. At cantica ſequuntur Hegionis 3, 2, et Tyndari 3, 3, nec, ſine gratia per tenorem duo haec decurrere opinor. Quod prius eſt Hegionis, vehementius incedit et affectu et metro ſatis difficili, ut de eo plane deſperaverit Acidalius. Bacchiacos hic illic eſſe, mox animadvertitur, nec tamen omnes. Doctiſſime in verſus redegit locum Hermann. *elem. d. metr.* pag. 314; ſed, quod venia Illius Viri mihi cariſſimi aeque ac venerandi fateri liceat, in quibusdam ab ipſo deceſſerim, cum nil magis curandum judicem, quam ut metri cauſa quam pauciſſima mutentur. Verſum, quem 8 Ille notavit, et ſequentes ſic ſcribo:

Tandem abii ad praetorem; (ithyph. tr.)
Ibi vix requievi (dim. bacch.)
Rogo ſyngraphum (dim. bacch. c.)
Datur mi; illico
Dedi Tyndaro:
Ille abiit domum
Inde illico revortor (jamb. dim. cat.)

vſ. 15 ſic ſcribendum puto

Exclamat eum ſibi eſſe ſodalem; dico eum eſſe apud me (jamb. tetr. c.)

et vſ. 16

Juſſi illico hunc exſolvi. Nunc tu ſequere me (jamb. tr. ac.)

In Tyndari cantico verſus facilius poſſunt conſtitui, quippe qui troch. et jamb. numeris continentur. In vſ. 5 *ſubdolis* pono ante *mendaciis.* Nec repetitum *mantellum,* in hac animi commotione, equidem valde refugerim. Usque ad vſ. 10 ſunt numeri jambici; a vſ. 10 usque ad 15 troch. *Negotium* eſt triſyllabum. *Salus* debet ante *ſervare* poni. *Machinor* ultimam producit et *incepiſſe* ex MSS. recipi debet, ut exclamatio ſiat indignantis de iis, quae ſusceperit. — Act. 4, ſc. 1 Ergaſilus agit canticum alternantibus fere jambicis et troch. tetr. — Denique act. 4, ſc. 3 et ſc. 4 ſunt cantica; quod ſi mecum probaveris, evaneſcit difficultas, quae eſt in conſtitutione actuum. Nam 4, 4 aptius inſcribenda videatur 5, 1; at ſi cant. eſt, 4, 4 facit transitum ab

actu 4 ad actum 5. In priori, 4, 3, ſunt trochaici, jambici in poſteriori, 4, 4. Captivorum fabula admodum curate eſt compoſita, vid. prolog. 55. Inde factum eſt, ut plura etiam cantica hic reperiantur.

In Curculione,

cum brevior ſit fabula et fere nil niſi paraſiti fraudem complectatur propiusque, ni fallor, ab Atellanis abſit, quod de Ciſtellaria pariter moneatur oportet, non mirum eſt, ſi in hac utraque minor ars adhibita reperitur. Quanto jocoſiores erant hujusmodi fabellae, — hoc enim nomine haec dramata Romani proprie nominaſſe videntur, — tanto magis placebant. Inde factum, ut aut pauca hic canticorum deprehendantur veſtigia, aut nulla. Nam ſi quis act. 1 priores vſſ. 13 canticum dixerit, is parum videatur cantici naturam perſpexiſſe. Neque enim, ut de ſenariis taceam, animi affectus hic verſantur; quod item dici debet de verbis Curculionis act. 5, quae inſuper ſunt pauciſſima. Act. 4, 1 Choragus prorſus ex lege Ariſtophanis loquitur parabaſin.

In Caſina

plurima ſunt cantica, ut in fabula optime ad artem et e legibus comoediae abſolutae compoſita. Itaque canticum neſcio an ſit 2, 3, 1—12, ubi de deliciis et voluptate, quam ipſe ex amore capiat, vividius loquens Stalino in ſcenam intrat, Cleoſtrata uxore non praeſente (2, 2, 39), ſed verſus cantici finem demum ex aedibus redeunte et propius a foribus ſubſiſtente. Hunc locum metris admodum difficilem Bothius in priori Plauti edit. redegit in tetr. tr. acat., ſed plurima haud conſentientibus libris MSS. mutavit; idem in poſteriori pauciora commutans his tetr. tr. plures aſynartetos inſertos eſſe voluit. Hermannus, quanquam ipſe in libro *de metris Rom. et Gr.* p. 126 verſum 8 facit tetr. tr. acat., in *elem. doctr. m.* p. 413 totum locum redegit in anapaeſtos octon. et ſept. Ut de re difficili verbum addere mihi liceat, quibus in vſſ. Hermannus audacius mutavit, nolim ab ejus partibus ſtare, praeſertim cum paſſim ſignificantiae loci aperte nocuerit, ut cum omittit *et* in 1 verſu; ſenex ex myropolio reverſus primum generatim dicit *omnibus rebus* et deinde ſpecialiter *et nitoribus nit.* Porro nemo, puto, erit, qui libentius ejectum patiatur *cocos* in vſ. 3, quod *eos* abundanter adjiciatur; nam hoc ipſum poſtulat ſermo comicus. Verſus 5 haud dubie culpa typographi excidit. Equidem in locis hujusmodi difficillimis invitis libris ſenſuque nil neque omiſerim, neque mutaverim et magis acquieſcere ſuadeam in metris qualibuscunque, quae verbis, uti in optimis quidem libris leguntur, exhiberi videntur. Primi verſus, ut recte Bothius ſtatuit, ſunt aſynart., ex troch. dim. et jam. dim. hyperc.

Omnibus rebus amorem ego credo et | nitoribus nitidis antevenire;
Nec pote quidquam commemorari | quod plus ſatis plusque ſaporis hodie
Habeat. Cocos equidem nimis (jamb. dim.)
Demiror, tot qui utuntur condimentis, eos eo condimento (jamb. tetr. hyperc.)
Uno non utier, omnibus quod praeſtat. (trim. anapaeſt. brachyc.)
Namque amor ubi condimentum inerit, quidvis placitum credo (troch. tetr. ac.)

Qui jam ſequuntur verſus tres, hos recte, opinor, conſtituit Herm.; ſed verſum deinde proximum ſic lego:

Qui poſtquam amo Caſinam, magis initio munditiis munditiam antideo. (tetr. jamb. hyperc.)
Myropolas omnes ſollicito; ubicunque lepidum unguentum eſt, ungor (tetr. j. hyp.)

Ultimos duos conſtituo, ut Herm. In vſ. *Namque amor etc.*, cum ſit inter aſynart. *condimentum* non eliditur, et *quidvis* cum Acidalio accipio ex codd.; quo facto facilius *placiturum* mutabitur in *placitum. Sollicito* propter interpunctionem eliſionem non patitur, et in vſ. 11 *ſed* per ſynaereſin ę extruſa cum *uxor* coaleſcit. — Act. 2, ſc. 7 quanquam animi affectus non poteſt non animadverti, tamen, cum magis ad narrationem accedat et pauciores ſint ſenarii, pro cantico non vendiderim; idem cadit in ſin. 2, 7. a vſ. 70, et in 3, 3, 1 — 10. Act. 3, ſc. 5, 1 — 7 etſi verſus ſunt vehementiſſimi et metro et dictione et animi motu, tamen cum iidem pauciſſimi, dum coqui intus adhuc ſunt in domo, ad fores dicantur et Cleoſtrata adeo appelletur, canticum eſſe nego; ſunt cretici. — Similiter non eſt canticum act. 4, ſc. 1, in qua nil eſt niſi narratio intus rei geſtae. Sed canticum non poſſum quin agnoſcam act. 5, ſc. 2, 1 — 16; ita enim vehementiſſima eſt et rerum et animi motio, ut nil curatum velim, quod ſiat hic narratio rei in domo geſtae ad ſpectatores, quos etiam appellat vſ. 5. Licentiam hanc dicamus, quemadmodum alibi quoque in fabulis Plautus alloquitur ſpectatores, ut in cantico Ciſtell. 4, 2, 9, Pſeud. 2, 1, 9. Hermanno docente *Elem. d. m.* p. 306 verſus ſunt anapaeſti Ariſtophanei. — Canticum denique eſt 5, 3, 1 — 13, ubi affectibus Stalinonis vehementiſſimis metra reſpondent multimodis mutata et inter ſe complicita; quae non male, puto, poſteriori in edit. reſtituit Bothius; quanquam enim plurimos eſſe voluit aſynartetos, pauca tamen mutavit et abſtinuit audacia, in uſitatum metrum, mutato quidquid refragatur, redigendi.

In Ciſtellaria,

quam fabellam accuratius dici ſupra jam monui, prologus eſt demum act. 1, ſc. 2 et 3. Cantica nonniſi duo in ea reperiuntur, Alceſimarchi juvenis 2, 1, 1 — 15 et 4, 2, 1 — 23 Haliſcae, quae minus primarum partium perſonis, quam Alceſimarchus, adnumerari poteſt. Adoleſcens ex aedibus lenae Melaenidis, quae ipſum deinde ſequitur, ſcenam intrat atque repetit, quae cum lena modo altercatus eſt, per canticum admodum vehemens, de cujus metris, utpote valde commoti, haud vulgaribus vid. Hermann. *elem. d. m.* pag. 396. Anapaeſtos ſpondaicos eſſe cenſet Vir doctiſſimus, jambico metro et trochaico paſſim interjecto. Sed ut libere profitear, quo offendor, cum aliis in locis, in quibus anapaeſti agnoſcuntur, tum in hoc juſto ſaepius contra accentum cadunt arſes, i. e. ſyllabae, quae accentu carent, ſunt elevandae per arſin, contra deprimendae, quae habent; ut haud raro, ſi accentum, e cujus ratione fere omnis pendet proſodia Plauti et Terentii, reſpexeris, ex anapaeſtis dactylici numeri oriri videantur. — In altero cantico 4, 2, 1 — 26 cum Haliſca ſervus intrat Lampadiſcus, ſed tacitus et mutus, ex more veterum, ex quo matronae in publicum non ibant, niſi cum comite ſive ſervo ſive ancilla, vid. ſupr. Amphitr. ad 2, 2. Itaque canticum nil prohibetur. Spectatores appellantur, ut ſupra Caſin. 4, 1, 5, quod apud Plautum eo minus miremur, cum ipſi, ut nominatim Pſeudol. 2, 1, 9 cogitari poſſint ut homines, qui ſunt in platea. Uti autem metra loci conſtituit Bothius, in plurimis quidem me habet conſentientem. De ſingulis, in quibus diſſentiam, per libelli hujus brevitatem, reticendum eſt.

In Epidico,

quam fabulam ut praeſtantiſſimam ipſe Plautus commendat Bacch. 2, 2, 36, neque minus, ac ſe ipſum, amat, canticum eſſe videatur act. 1, ſc. 1, vſſ. 75 — 91 troch. tetr. catal. Quanquam enim nonnulla hic magis ad narrationem ſpectare dixeris, omnia tamen pertinent tantum et redeunt ad animi affectionem, quam interdum etiam narrando ſive explicando ſeſe exhibere notum eſt. At pro cantico haberi nequit neque oratio ejusdem Epidici 2, 2, cum ſola ſubſit narratio ſive conſultatio, quam ſecum inſtituit, neque 1, 2, 51 — 62 eadem de cauſa, nec denique act. 4, ſc. 1, ubi initium cantici ſimile dici poſſit, ſed pauciſſimorum verſuum. Quodſi, an act. 1, ſc. 1 a vſ. 75 canticum ſit, dubitari poſſit, tota haec fabula careat cantico, ut opinari fere liceat, hac ipſa in re unam fuiſſe de cauſis, cur tantopere haec fabula placuerit Plauto, utpote maxime motoria. Cantica enim retinent actionem moramque faciunt, cujus impatientior, puto, fuit Plautus jocoſius rem agendi movendique mirum quam ſtudioſus. Similiter cantica deeſſe videbimus in Milit. Glor.

In Bacchidibus

canticum non eſſe judico 2, 3, 115 — 131; neque enim animi affectus ineſt, ſed magis expoſitio rerum, quae et ſunt et fient. Verum 3, 1 et 3, 2 cantica ſunt; id

quod argumentum et metrum arguit. Sunt in utroque t. t. c., numeri ideo aptiſſimi, quod non vehementiores inſunt animorum affectus. Act. 3, ſc. 4 Mneſilochus in ſcenam intrat cum comitibus et ſenariis exponit, quid jam facturus ſit. Nec minus eſt canticum 4, 1, qua paraſitus ſcenam ingreſſus fores aperiri ſibi vult. Aperte autem canticum eſt 4, 3, 1 — 11 Mneſilochi, qui de rebus ſuis admodum eſt ſollicitus nec ſcit, quo ſe vertat. Huic animi anxietati reſpondent et verba et numeri, de quibus vid. Hermann. *Elem. doctr. metr.* pag. 91 et 92 et 220. Equidem de metro ſic ſtatuo: primi verſus quatuor ſunt tr. tetr. acat., *volo* in *nolo* mutato. Deinde tales numeros eſſe crediderim:

Eſſe aliis ego. Credibile hoc eſt? (dim. tr.)
Nequior eſt nemo, (ithyphall. tr.)
Neque indignior, (bacch. dim. cat.)
Quoi dii benefaciant, (jamb. mon. hyperc.)
Neque quem quisquam homo (bacch. dim. c.)
Aut amet aut adeat. (troch. mon. hyperc.)
Inimicos, quam amicos aequiuſt me habere; (aſynart. ex bacch. dim. et tr. dim. br.)

in ceteris conſentio cum Hermanno pag. 220. — Longius canticum eſt 4, 9, 1 — 53 e tetram. maximam partem jambicis, rarius troch., modo acat., modo catal. Nicobulus non eſt in ſcena, ſed in aedibus, atque, cum audit vocem, exit. — Act. 4, 10 non eſt canticum; ſed quietior conſultatio et cogitatio de re geſta. — Act. 5, ſc. 1, 1 — 17 troch. tetr. eſt canticum Philoxeni de rebus ſuis anxie querentis et deſperantis. Nicobulus ſub cantici finem ab altera parte ſcenam intrat quaeritque Mneſilochum, vid. 4, 10, 9. Verbum *loqui* vſ. 18 de eo, qui canticum agit, ſaepius dictum legitur ab eo, qui canticum alterius commemorat, ut Men. 4, 2, 38, ubi canticum fuit; ſimiliter *fabulari* Mercat. 2, 3, 30 cf. Pſeudol. 2, 3, 20; *vox* Pſeudol. 5, 2, 1.

In Moſtellaria,

quam fabulam, omnium fere longiſſimam, ſicut male eſſe habitam et plurimum mendoſam ad nos perveniſſe, jam olim queſti ſunt viri docti, ut Camerarius, nuper Hermannus et Bothius, ita a poeta ipſo mirifica arte et ſingulari ſtudio elaboratam eſſe contenderim. Canticum eſt 1, 2 Philolachetis, qui eſt ex primariis perſonis non vehementius quidem commotum, ſed argumenti, quod quam plurimum et proprie cadit in canticorum naturam. De ſe et ſua vita vitaeque experientia exorſus ex ſpatiatur in enarrandam indolem hominum et inſtituta vitae humanae in univerſum et, quod dicunt, vulgi more philoſophatur ex modo probabili et feſtivo atque ex rationibus, quas fere

dixeris Shakſpearii. Eſt locus admodum elegans, ſed difficillimus metro. Totum locum in numeros ſuos admodum ingenioſe et diligentiſſime redigere conatus eſt Hermann. *el. doctr. m.* p. 299; de ſingulis vſſ. diſputat eodem libro p. 206 et 207. Cum Hermanno qui conferatur, dignus eſt Bothius edit. Pl. poſteriori. Inſunt bacchiaci potiſſimum, cretici, troch.; quin etiam antiſtrophicos vſſ. hic ſibi reperiſſe viſus eſt Hermann. pag. 215. — An canticum ſit Act. 2, 1, 1 — 15, dubitari poteſt, quandoquidem hic diſcimus, quod factum eſt in portu, patrem adveniſſe; ad actionem igitur, quae ibi memorantur, pertinent. — Sed canticum redit evidentiſſimum 3, 2, 1 — 22, Tranione interloquente, ita ut nec ipſe nec ejus verba a ſene Simone animadvertantur. Alter ſenex Theuropides accedit demum vſ. 96. Etiam in hoc loco ſtropharum veſtigia quaedam ſe detexiſſe Hermann. p. 216 dicit, ſed dubitantius, cum nominatim hanc ſcenam mutilatam ad nos veniſſe conqueratur. — Ultimum denique, quod in hac fabula eſt, canticum item corruptiſſimum invenitur 4, 1 Phaniſci, adverſitoris, cujus partes minime primariae ſunt, de ſervorum, qui vulgo ſunt, ingenio verba facientis et ab iis ſe diſcedere differentis. Metra quam plurimum ſunt variata, in quibus reſtituendis verſatur Hermann. p. 310 et 311, ibi quoque plurima corrupta, quin omiſſa cenſens; quibus de loci vitiis videatur etiam Bothius in utraque edit. Camerarius ut plerumque in verſibus, quorum de numeris haeſitabat rei metricae minus peritus, etiam hic peſſime verſatus eſt. — In act. 5, ſc. 1 vſſ. 1 — 15 de cantico cogitandum non eſſe, intelliget qui iis nonniſi proponi animadverterit, quae ſervus Tranio in aedibus inſtituit.

In Menaechmis

act. 1, ſc. 1 oratio paraſiti non eſt canticum; quanquam enim de paraſitica vita in univerſum differit Peniculus, tamen non modo ſenariis utitur in cantico parum uſitatis, ſed inde a vſ. 20 etiam narrat, quid ſit facturus; accedit, quod adeo non motoria res eſt, ut apte idem et pronuntiare et agere poſſit. Nec ſubſequitur canticum act. 1, ſc. 2 oratio Menaechmi; hic enim ad januam ſtans aedium ſuarum foribus apertis rixatur cum uxore, quam a foribus abigere vult, ne viam ipſius ſpeculetur, vid. vſ. 16. — Canticum vero eſſe videtur act. 3, ſc. 1, ubi Peniculus de ſuis rebus miſeriisque queritur tetr. tr., ultimis tribus vſſ. a cantico excluſis, in quibus dicit, quid facere velit et quem videat. — Veriſſimum canticum eſt Menaechmi oratio de conſuetudine amicis in judicio utendi 4, 2, non 1 — 36, ſed 1 — 19. Nam inde habemus narrationem eorum, quae Menaechmus egit in foro coram judicibus, quae pars etiam eo dif-

fert a ſuperioribus, quod metrum ante lyricum nunc transit ad tetr. troch., quibus fortaſſe jambicus unus et alter immixtus eſt. De metris cantici locutus eſt Hermann. *el. d. m.* pag. 304 et 305; qui cum in poſteriori parte inde a vſ. 9 plura coeperit mutare, neſcio an hic illic magis verum vidit Bothius poſteriori edit., accentum quidem ubique ſecutus et mutationis audacia abſtinens. — In Act. 5, ſc. 2, 1—14 ſenex, pater uxoris, in ſcenam intrat, et quanquam id, quod ſibi jam acciderit, arceſſi ſe a filia, loquitur, haec tamen ita profert, ut oratio nil abſit a cantico, quod hic eo magis agnoſco, cum lyricum ſit metrum, plurimam quidem partem bacchiacum. Quod nonnulla de rebus ante factis monet, id utpote a ſene optime fieri potuit. — Canticum denique ultimum eſt 5, 6, ſed tantum usque ad vſ. 27, a quo, quae agere velit, dicit tetr. jamb. De boni ſervi virtute in cantico diſſeritur et metrum praevalet bacch., vid. Hermann. *el. d. m.* pag. 311. Meſſenio ipſe non eſt de perſonis primarum partium.

In Milite glorioſo

2, 2, 45—75 Periplectomenes ſolus verba facit; ſed cum hic deſcribat geſtum habitumque Palaeſtrionis ſtantis et ſecum conſultantis, non eſt, cur canticum putemus. Similiter a vſ. 105 usque ad finem ſolus loquitur Palaeſtrio tantum de iis, quae aguntur et de eo, quod veriſimillimum ipſi facillimumque videri debeat; idem cadit in act. 2, ſc. 3, 32—40 et in finem ejusdem ſcenae. Neque act. 4, ſc. 2, ubi Milphidippa ab initio ſola loquitur, canticum quisquam habeat, cum pauciſſimi ſint verſus nec argumentum cantico conveniat; ſimiliter ſtatuendum eſt de initio 4, 7. Itaque ſicut in Epidico nullum hic reperitur canticum, quanquam ut illa, ſic haec eſt fabula admodum motoria.

In Mercatore

nemo, puto, canticum habebit narrationem Demiphonis ſenis de ſuo ſomnio ſenariis propoſitam. At canticum eſt Charini 2, 3, 1—29, Demiphone audiente, ſed non animadverſo et tacito. Metrum etiam hic praevalet bacchiacum, aliis numeris paſſim intermixtis. De rebus fere jam deſperatis ineſt querela Charini; ſimulatque pater colloqui incipit, metrum mutatur in troch. — Act. 3, ſc. 4 licet quatuor prioribus verſibus argumentum ſit cantico haud ineptum, tamen cum ſint pauciſſimi et proxime ſubſequentia ad actionem fabulae pertineant, nemo, opinor, canticum ineſſe putabit verſibus 1—10. — Act. 4, ſc. 6 ſenariis tredecim interpoſita eſt brevis querela de lege dura, qua vivant mulieres; quae cum pertineat ad morum, qui Romae erant,

erant, naturam et indolem, non magis, quam ſupra in Aulul. act. 3, ſc. 5, canticum eſſe ſtatuerim. — In act. 5, ſc. 1 canticum faciunt verba Charini, qui in exilium proficiſci paratus tetr. tr. patriae valedicit; eadem oratio canticumque continuatur act. 5, ſc. 2, vſſ. 1—24, Eutychi, qui verſu demum 16 ſcenam ingreditur, narratione inſerta, ſed neutro alterum vidente. Vides vehementiſſimam ſic naſci actionem, ut mirum ſit, nil niſi tr. et jambicos in hac ſcena eſſe verſus.

In Pſeudolo

act. 1, ſc. 4 oratio Pſeudoli, utpote hic ſecum exponentis, quid ſit agendum, quid jam ſit factum, neutiquam pro cantico haberi poſſe patet. At 2, 1 canticum eſſe Pſeudoli a nemine, puto, negabitur, usque ad vſ. 17. Numeri plurimis in vſſ. videntur eſſe troch. et jambici, creticis paſſim intermixtis. Argumentum ad actionem ipſam propius accedere negari nequit; at plura tamen generalius dicuntur atque ex animi affectu, quo nunc eſt ſervus Pſeudolus. Liberius hic quoque verſatus Plautus ſpectatores paucis et tectius alloquitur vſ. 9 et 10, cf. quae dicta ſunt ad Caſin. 5, 2 et Ciſtell. 4, 2. — Eodem modo et lege pro cantico habere libet, quae idem Pſeudolus de felicitate ſua in ſcena diſſerit 2, 3 vſſ. tetr. tr. cat. Philoſophari ſe dicit vſ. 21, ubi hoc ipſum ob verbum canticum finitum eſſe cenſeo. — Act. 3, ſc. 1 canticum eſſe, ut metrum, ſic narratio, quae exhibetur, negare nos jubet. — Sequitur canticum 4, 7, 1—21; ab initio generaliora monentur; deinde transit Harpax ad ſuarum rerum conditionem et conſilia, quae ita proponuntur, ut fere videantur narrantis. Metra ſunt plurima, mixta ex troch., jambicis, bacch., creticis vſſ. Plures aſynartetos conſtituit hic Bothius. — Ultimum denique canticum, quae plurima hoc in fabula ſunt, habet iterum Pſeudolus 5, 1 incitatiſſimae commotionis et ſummae in metris varietatis; quae nonniſi difficillime ordinantur. Cum enim Pſeudolus ſit ebrius et per ſcenam huc illuc labatur, huic ebrietati reſpondet metri varietas admodum multiplex. Praevalere videntur numeri bacch., creticis et troch. intermixtis. Eſt ſcena admodum elegans.

In Poenulo

act. 1, ſc. 2, vſſ. 1—23 et metrum et argumentum cantico putetur aptiſſimum; obſtat tamen, quod in ſcenam ſimul cum Adelphaſio, quae agit, intrat (vid. 1, 1, 75) ſoror Anteraſtylis, quae in ſeqq. cum illa colloquitur; deinde bacchiaco metro, quod eſt vſſ. 1—24, etiam in ſeqq. pergitur; ut potius diverbium eſſe dicatur, bacchiacis verſibus compoſitum, duas inter ſorores. — Act. 2, vſſ. 1—23 canticum non eſſe, docetur

et metro, ſenariis, et eo, quod Lycus tantum exponit, quae ſibi acciderint. Similiter incertum eſt, an canticum putes Syncerasti orationem 4, 2, 1—23. Quanquam enim Milphio ita interloquitur, ut nec animadvertatur nec audiatur a Syncerasto, tamen, quae dicuntur, mihi non ſatis talis argumenti eſſe videntur, quale vulgo eſt in canticis. Verſus ſunt troch. tetr. modo catal., modo acatal. — Quae nunc ſequitur ſcena Punice conſcripta, hanc, ſi ſequimur interpretationem, qualem Bellermann *Verſuch einer Erklärung der puniſchen Stellen im Poenulus des Plautus, Berlin* 1808, doctiſſime et veriſimiliter propoſuit, ut canticum actam cogitare poſſumus. Nam etſi pauca ad argumenti expoſitionem, ſive ad narrationem pertineant, plurima tamen verſantur in animi affectu; quo accedit, quod nonniſi ſic per ſaltationem vehementiorem haec ſcena, cujus lingua Romanis omnino erat incognita, placere poterat. Quod ſi parum probetur, cum in cetera fabula cantici veſtigia non appareant, etiam hanc ut Epidicum et Militem, canticis carere putemus.

In Perſa,

fabula ſive fabella exilis argumenti et paraſiticae levitatis plena, Act. 1, ſc. 2 paraſitus Saturio ſolus verba facit ſenariis de quaeſtu ſuo vitaeque conditione, atque de moribus hominum praeſentibus, ut etiam his verſibus, quemadmodum in Aulul. 3, 4 et Capt. 3, 1, canticum ineſſe negem. — De quo vero nemo dubitaverit, canticum habet haec fabula act. 2, ſc. 3, qua Sagariſtio ſervus verba facit gaudii plenus, quod improviſo argentum acceperit; metra ſunt varia, troch., bacch., etiam jamb. — At act. 5, ſc. 1, vſſ. 1 — 11 canticum eſſe negari debet, cum e domo in ſcenam vſ. 6 alii evocentur.

In Rudente,

fabula admodum jucunda et commendata etiam a canticis, elegantiſſimum eſt cant. mulieris Palaeſtrae, quae modo mari et naufragio liberata et incerta adhuc ſociae rerumque ſuarum conqueritur 1, 3 de calamitate ſua verſibus mixti metri, et troch., et jamb., et bacch., et cret.; aſynarteti plurimi inveniri hic videntur. — Quo minus 1, 4, vſſ. 1—10 pro cantico habeantur, in cauſa eſt, quod hi verſus fere dicuntur inter verba poſteriora cantici, quod agitur a Palaeſtra; neque enim duo cantica ſimul in ſcena eſſe poſſunt. — Act. 2, ſc. 1 piſcatores (vid. 2, 2, 4 ſeqq.) de ſuae vitae miſeriis lamentantes haud dubie canunt et ſaltant carmen inſtar chori, ut etiam hic videamus, quanta libertate in fabulis ſuis uſus ſit Plautus. Verſus ſunt jamb. tetr. cat. Monendum praeterea, hoc carmen inter actum primum et ſecundum eſſe interpoſitum, uti ſupra

canticum in Capt. 4, 4. — In act. 2, ſc. 5 de cantico non cogito, utpote quae nonniſi in actione verſatur; neque in act. 3, ſc. 1, cum in ea Daemones ſenariis nonniſi exponat, quae per ſomnium vidit. — In act. 3, ſc. 2, vſſ. 1—12 Trachalio ſervus implorat Cyrenenſium auxilium tetr. tr.; quo facto Daemones ſenex occurrit. Itaque hic de cantico non cogitaverim; neque in act. 3, ſc. 3, quanquam metrum hic eo deducere poſſit mixtum et compoſitum e troch., bacch., cret. Argumentum enim magis in proponendo occupatur. — At evidens canticum habemus 4, 2, inſigne et animi affectione, quippe in quo laetiſſimus Gripus in ſpes, quae ipſi nunc oriantur, exponendas exſpatietur, et metri varietate compoſiti ex vſſ. bacch., anap. troch. — In cetera fabula canticum eſſe non poteſt, cum omnes loci, quibus unus verba facit, nonniſi narrationem contineant, aut pauciſſimis verſibus comprehendantur.

In Sticho

unum modo poſſum agnoſcere canticum 2, 2 orationem Pinacii pueri, qui laetiſſimus eſt de nuntio, quem herae ſuae nunc affert, gratiſſimo vſſ. 1—42; quae interloquitur Gelaſimus paraſitus, dicit hic ita, ut nec verba neque ipſe ab illo animadvertantur. Cum admodum motoria ſit ſcena, reſpondent metra mirifice mixta et compoſita, de quibus dixit Hermann. *el. d. m.* pagg. 164, 175, 184 et 395. Sunt troch. et jamb., bacch. et hic illic etiam anap. Quae praecedit paraſiti Gelaſimi oratio act. 1, ſc. 3, etſi argumentum, maxime priori in parte, minime abſit a cantico, tamen cum a vſ. 30 et deinceps magis accipiat ſpeciem, ut ita dicam, parabaſeos ſpectatorum mores perſtringentis (cf. dicta ad Aulul. 3, 5), nec niſi ſint ſenarii verſus, non poſſum canticum hic accipere; neque 5, 3, ubi ad ſpectatores ſimpliciter oratio fere narrans et monens convertitur.

In Trinummo,

quam fabulam edidit Hermannus ſingulatim Lipſiae 1800, canticum eſſe 2, 1 nemo non intelliget tum ex metro, tum ex argumento, quod eſt de amore, ſitne ei indulgendum, an valedicendum. Omnibus bene perpenſis, amorem miſſum facturum ſe eſſe pollicetur juvenis. Ita animus ejus haud mediocriter eſt commotus et fluctuat inter metum et ſpem. Huic argumento conveniunt metra ex vſſ. et troch. et jamb. et bacch. et cret. mirum in modum mixta, cf. Hermann. *El. d. m.* p. 212. — Charmidis deinde ſenis legitur canticum 4, 1, qui laetitia perfuſus Neptuno agit gratias, quod ipſum navigantem ſervaverit ex fluctibus et de Neptuni ſaevitia admodum vulgari verba facit. Metrum eſt troch. modo acat., modo catal., neque mutatur, quippe cum mitioris in-

genii canticum deceat fenem. — Act. 4, fc. 2 in oratione Sycophantae vff. 1 — 18 non eft canticum, utpote proponentis, quid fit facturus et quid velit. At canticum effe putaverim orationem Stafimi 4, 3 usque ad vf. 50, admodum concitati et feftinantis. Charmides interloquens a Stafimo non animadvertitur. Verfus funt troch. tetr. catal.

In Truculento,

fabula admodum mutilata et fere defperata, act. 1, fc. 1, qua folus dicit Dinarchus adolefcens, jam ideo canticum non eft, quod decurrit in narrationem, quae inftar prologi videatur. — Sed pro cantico fortaffe habenda eft oratio ancillae Aftaphii act. 1, fc. 2, vff. 1 — 16, licet, quae Plauti fit licentia, egrediens in fcenam et propius adhuc ad fores ftans intus in domum clamitet primo verfu et vf. 12 fpectatores appellet. Verfus funt valde mixti, quos in bacchiacos numeros, fed audacius mutans, redigere conatus eft Hermann. *de metris poett. Gr. et Rom.* Lipfiae 1796 pagg. 96 et 202. Si unquam, hac potiffimum in fabula vehementiffime lacerata longe difficillimum erit metri caufa plura corrigere et mutare. Bothius plurimos hic invenit afynartetos. Verfantur verba Aftaphii in vituperandis adolefcentium moribus, qui nunc veniant vacuis manibus in aedes meretricum. Eadem, poftquam Dinarchus discefsit, in canticum, opinor, redit poft ultimum verfum 2, 1, 106 verba faciens et differens de dolis et arte meretricia per numeros, puto, maximam partem jamb. et troch. Male igitur act. 2, fc. 1 novus infcribitur actus. — Act. 2, fc. 5 non canticum eft, cum Phronefium meretrix partim exponat, quae facta funt et quae fient, partim fervas fuas alloquatur, partim ad fpectatores verba faciat vf. 10. Animadvertendum enim, plus femel in hac fabula fpectatores appellari, ut 2, 6, 1, qua ipfa de caufa hoc in loco non eft, quod cogitemus de cantico, praefertim cum animi affectus parum hic confpiciatur. — In act. 4 denique fc. 1 canticum non eft, fed expofitio.

Apud TERENTIUM difficilius, quam apud Plautum, cantica dignofci, fupra jam docuimus caufamque latere majore in modeftia, qua Terentius metrorum audaciore varietate et infolentia, atque nimia argumenti vehementia motuque abstinuerit, licet motoriis fabulae ipfius recte adnumerentur. Terentius enim pacatior ille, lenior et remiffior ingenii fui moderatioris fapientiam quandam ubique fequitur placere cupiens minus turbae multorum, quorum gratiam et favorem cupidius affectabat violentior Plautus, ceterum fua indole fuoque dicendi et componendi modo inprimis excellens, quam hominum judicio, qui, elegantius animo et mente exculti (cf. proll. Eunuch. 1 et Adelph. 18 feqq.), non tam rerum concitatione et tumultu gaudebant, quam defaecata voluptate et gratiis fedatioribus. Quis non videat huc pertinere, quae eft de Terentio, famam illam, in conficiendis fabulis adjutum effe poetam a Scipione, Laelio, aliisque viris nobilibus? Accedit, quod, quem maxime fequebatur et ante oculos habebat, Menandri comici ingenium et ars dramatica non potuit non ad majorem hanc modeftiam in rebus comice tractandis eum deducere. Quid igitur mirum, fi etiam in partibus, quae, cum fint maxime motae, vehementiorem metrorum indolem fibi poftulant, quemadmodum vere factum in Plauto vidimus, in *canticis* nihilominus apud Terentium, in cujus fabulis ipfum argumentum canticorum a Plautina atrociori concitatione aliquantum recedit, multo rarius reperiuntur melica, quae diximus, metra, verfus bacch., cret., anapaeft., et omnia fere cant. continentur vff. tetrametris five jambicis five trochaicis, nec faepius afynarteti deprehenduntur, quorum ufus plurimus eft apud Plautum. Etfi, ut etiam hoc nomine Terentio amplior fiat honor, ratio, quam magnus Bentlejus in Terentio ingreffus eft, ubique per aequalitatem fingulis in fcenis metrum conftituendi, hac ipfa de caufa hic illic vituperanda videatur. Nam ita plurimis in locis, et maxime in canticis, corrigi oportuit, ubi haud dubie Terentius ipfe varium metrum et inaequale effe maluit. Analogia enim duce equidem non poffum non ftatuere, etiam in Terentio, cum pariter, ac Plautus, ufus fit canticis, etfi modeftius, varietatem metri reperiri eadem in fcena fibi haud conftantis nec aequalis; ut ftem a partibus Bothii, qui in Terentio quoque invenit afynartetos varii generis, vid. in ejus edit. Terent. Halberftad. 1822 indic. fub voc. *Bentlejus* et *Verfus afynarteti.* Quod vero ex argumento dignofcuntur cantica, quia fenfa animique affectiones ex rei gerendae geftaeque motu et agitatione profectae canticis potiffimum efferebantur, etiam hic ex Terentii placidiori ingenio factum eft, ut in canticis plura de rebus jam geftis aut gerendis adhuc commemorari videamus, quanquam, cum ad animi commotionem pertineant, non eft, quod canticum effe negemus. Immo eadem de caufa etiam fenariis Terentium in canticis ufum effe, facilius animum inducere poffumus, quam Plautum, cujus fcenas, in quibus unus tantum per fenarios verba facit, plerumque aliorfum accipi poffe vidimus ita, ut canticis neceffario non viderentur adnumerandae. Sed cum tranquilliores omnino minusque motorias confcribere fabulas Terentio fuerit propofitum, nemo mirabitur, quod in prologis (I Hecyr. 4 feqq. et II 25 feqq.) queritur Terentius, minus ftudiofam curiofamque fuarum fabularum effe multitudinem, fcilicet haud fatis occupante multorum animos argumento; ideoque in pofteriore fabularum parte plerumque et rariora et breviora inveniuntur

cantica: nimirum, quod moram iis ineſſe indignari poſſent ſpectatores diutius immorandi faſtidioſi, compendium fieri voluit poeta.

Cum antiquo jam tempore, circa annum p. Chr. n. 350, Terentium commentatus ſit Donatus grammaticus, ab ejus commentario plura exſpectari poſſent, quibus cantica apud Terentium inveſtigare facilioris eſſet negotii. Nec tamen ſpei reſpondet eventus. Praeterquam enim, quod in praefationibus ſingulis fabulis antepoſitis cantica commemorat, in ipſo commentario ne verbum quidem legitur, unde concludas, pro cantico hanc illam ſcenam eſſe habendam; nonniſi ad Hec. 5, 3, 18 tribus verbis canticum oſtenditur: *Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur.* Jam, qui factum ſit, quaeritur, ut in enarratione ipſa Terentii, quae Donati nomine inſcribitur, ceterum plus uno nomine admodum laudabili et lectionem poetae plurimum adjuvante, de canticis altum ſit ſilentium, contra in praefationibus non leviter nec in tranſitu, ſed conſulto et diſerte eorum fiat mentio. Donatus, ut hoc primo loco reſpondeatur, cum eſſet grammaticus et rhetor ſuaque enarratione juvari potiſſimum vellet intellectum Terentii, qui in ſcholis jam tractari et legi erat coeptus, parum curabat, quae proxime ad fabulae actionem in ſcena pertinebant, ſatis habens ea tantum de re ſcenica monuiſſe, quae ad interpretationem prodeſſent. De canticis igitur poſtquam in praefatione monuerat, quia ad ſenſum illuſtrandum minus inde lucis exſpectari poterat, in commentario omnino reticendum ſtatuit, praeſertim cum, ut ſupra jam vidimus, ſuo tempore, ſi forte in ſcena ederentur, ratio antiqua fabulas et cantica agendi et repraeſentandi, jam eſſet partim abolita, partim immutata. Et ſi forte hic illic a Donato ipſo, quemadmodum ad Hecyram factum eſt, de canticis quaedam monita fuerunt, grammatici, qui ſequebantur, et librarii, miſere Donati commentarium lacerantes, deleverunt et abjecerunt, utpote quae ipſis parum utilia viderentur. De Donato ejusque corruptione nuper ſcripſit Ludov. Schopen.: *De Terent. et Donat. diſſert.* Bonnae 1821, ubi vid. pag. 43 ſeqq. Quae cum ita ſint, mirari non poſſumus, ad cantica Terentii indaganda nil opis ferre Donatum. Proprio Marte res iterum tentanda eſt.

In Andria,

quam diverbiis et canticis lepide diſtinctam eſſe ait Donatus in praef., primum canticum eſt 1, 5 Pamphili, qui poſtquam cognovit, ſibi nuptias patrem parare, de eo vehementius conquerens ſolus loquitur, Myſide audiente nec viſa. Verſus alternantur troch. et jamb. tetrametri; videntur etiam aſynarteti ineſſe. — In ſecundo et tertio actu non ſunt cantica, quod recte, puto, factum eſt a poeta, cum ab omni parte ca-

ptatio nunc et doli ſiant. Neque enim act. 3, ſc. 4, vſſ. 21—25 et 3, 5, 1—9, cum utrobique juſto pauciores ſint verſus, cantica eſſe ſtatuerim. — Canticum ſequitur alterum Charini, quanquam hic non eſt primarum partium, 4, 1, vſſ. 1—17. Charinus ſolus eſt et Pamphilus cum Davo demum verſus finem cantici ſcenam ingrediuntur, ut canticum ipſum ſit ſingularis ſcena. Verſus ſunt, ab initio dactylicus, deinde cretici, ad finem jambici tetrametri. In cetera fabula nullum apparet cantici veſtigium.

In Eunucho,

cujus cantica, Donato teſte, ſaepe mutatis modis exhibita ſunt, (vid., quae ſupra ſunt dicta pag. 4), canticum eſt 2, 2, 1—35 paraſiti Gnathonis, qui praeſente et interloquente nec tamen animadverſo Parmenone, una cum puellula mancipio Thaidi donanda in ſcenam hoc cantico prodit, ſecum edilſerens, quid diſtet ſtultus a prudente. Verſus trochaicos tetr. excipiunt jambici tetr., aſynartetis fortaſſe immixtis, uti Bothius quidem in poſteriori edit. exhibuit, non in priori anni 1806, in qua omnes ſunt troch. tetr. catal. — Act. 2, ſc. 3, 1—11, verbis Parmenonis detractis, continetur vehementiſſima Chaereae oratio ſecum loquentis, ut equidem, praeſertim cum metrum ſuaſerit, haud verear canticum agnoſcere. Quod de re, quae modo agitur, eſt ſermo, id hoc loco ab animi affectione minime eſt alienum. — Act. 3, ſc. 3, vſſ. 1—23 non canticum, ſed rerum, quae geruntur, eſt expoſitio Chremetis. Neque 3, 4 Antiphonis adoleſcentis verba pro cantico quisquam habeat; paritur hic dicitur, quid rerum fiat cum Chaerea. — Sed canticum eſſe putem, quae Chaerea vehementiſſime commotus agit 3, 5, 1—8. Gaudio reſolutus in verba jam erumpit de voluptate in puella expleta. Cum vero ob nimis conciſam brevemque orationem canticis adnumerari cuiquam vix poſſe videatur, monendum eſt, verba hic talia eſſe et argumentum, ut ob intervalla et pauſas longius ad agendum fuerit neceſſarium tempus, quam primo adſpectu opineris. — Difficilius eſt dijudicare, 4, 1 Doriadis ancillae verba canticum ſint nec ne; obſtat, quod expoſitio eſſe videtur rei apud militem geſtae: ſuadet metrum admodum mixtum e jamb. et troch., animique commotio, qua eſt Dorias de domina haud parum ſollicita et timens, oratio denique vehementiorem geſtum poſtulans, ut ipſo vſ. 10 indicatur: *quod ſic geſtis.* Cum igitur ſupra jam monuerim, apud Terentium in canticis interdum plura ad expoſitionis modum legi, equidem non poſſum non canticum hic agnoſcere. — Contra de cantico non cogito 4, 2, ubi Phaedriae narrat, qui factum ſit, ut in urbem redierit. — Canticum eſſe, quanquam trimetris compoſitum, 5, 4, 1—18 Parmenonis reviſere jam volentis et eundo ſecum loquentis

de inſidiis, quas ſtruxerit meretrici, argumentum probare videtur magis affectionem animi exhibens, quam narrans; ſed cum lenius ſit et remiſſius, trimetris uſus eſt poeta.

In Heautontimorumeno,

in quam fabulam commentarius Donati non exſtat, habemus canticum, de quo nemo dubitet 2, 1, Clitiphonis, qui, ab diſſolutiorem vitam a patre caſtigatus, hunc, quod vulgarem patrum rationem filios tractandi ipſe ſequatur, jam reprehendit. Verſus ſunt jambici tetr. — Alterum redit canticum 4, 2, ubi Syrus vehementer aeſtuans ingemit et conqueritur, quod multum ſibi adfuturum ſit infortunium, cum fieri jam poſſit, ut puella agnoſcatur. Verſus ſunt jamb. tetram., aſynarteto, ut Bothius vult, uno alterove intermixto. Alia cantica non ſunt in hac fabula, quae plurimum motoria eſt nec ſtatarios locos ullos habet, quod bene, ſed obſcurius monet ipſe Donatus praefat. ad Adelph. init.: *Hujus tota actio quum ſit mixta ex utroque genere, ut fere Terentianae omnes, praeter Heautontimorumenon, tamen majori ex parte motoria eſt.*

In Adelphis,

cujus comoediae cantica, mutatis per ſcenam modis, ſaepe mutata eſſe in praefatione docet Donatus, ſtatim ab initio ſolus loquitur Micio ſenex trimetris, plura deinceps narrans, ſive, quaſi animo ſuo indulgendum ſit, ſecum exponens de filio, de fratre, de ſe ſuisque vitae rationibus. Videmus igitur hoc ipſum argumentum, utpote quo leniter an ſeverius educandi ſint filii, proponuntur rationes et ponderantur, propius ad canticorum naturam accedere, ut fere non dubitem, pro cantico habere. Neque enim trimetros apud Terentium a canticis excluſos videri, mitioribus iſtis et remiſſioribus, quale hoc eſt ſenis, ſupra jam monui. Quae narrantur, his Micio probare vult et arguere, recte a ſe ſtatui. Separandos tamen a cantico patet priores duos verſus et ultimos quatuor, 53—56. — Canticum porro eſt 2, 1, vſſ. 42—54 oratio Sannionis, qui his verbis oſtendit, quam facile, modo ſit unde lucrum veniat, mitigari poſſit lenonis animus, ut quidvis patiatur. Scena eſt commotior, verſus troch. tetr. — Act. 3, 2 Geta canticum agit vehementiſſimum vſſ. 1—21, ſed ita, ut, quae ſimul in ſcena ſunt praeſentes, Soſtrata et Canthara audiant et interloquantur, a Geta non conſpectae. Proponitur imago ſervi fidelis et de ſalute familiae ſuae ſolliciti, cui mala imminere viderit. Currit et geſtit per ſcenam concitatius. Troch. et jambici verſus tetr. alternantur. — In act. 3, ſc. 3, vſſ. 1—6 et 10—17, qui ſe-

ſenarii ſunt, de cantico eo minus eſt quod cogitemus, cum ne argumentum quidem ad cantici indolem accedere videatur; idem cadit in 3, 5. — Poſſis quidem opinari, canticum eſſe in verbis Demeae 4, 2; at pauciora ſunt verba; magis deinde a ſpectatoribus attenduntur, quae Cteſipho et Syrus agunt, quam, ut Demeae verba curioſius audiantur; accedit tandem, quod nonniſi res, quae agitur, a Demea tangitur. — At canticum, de quo non dubitemus, eſt 4, 4 Aeſchini in querelas erumpentis, quod tum ſuo amore, tum fratris culpa, cujus rem detegere ipſe deteſtatur, quaſi torqueatur. Eſt locus elegantiſſimus et metri quoque varietate inſignis: praeter jamb. et tr. tetr. inſunt clauſulae, cretici, fortaſſe etiam choriambici. — In quinto denique actu ſc. 4 canticum eſt Demeae vitae rationem, quam hucusque habuerit, mutare ſe velle dicentis, ſaltem ſimulantis; verſus ſunt troch. tetr.

In Hecyra,

in qua cantica et diverbia ſummo favore ſuſcepta eſſe Donatus monet in praef., 2, 1, vſſ. 1—7 canticum eſſe non poteſt, cum et brevius ſit et obliqua irati Lachetis objurgatio in mulierem una praeſentem. Nec magis canticum eſt in act. 2, ſc. 3, et act. 3, ſc. 1, vſſ. 1—7. Illic enim nonniſi clauſula eſt et finis diverbii, quo, poſtquam abierunt jam Phidippus et Laches, nunc ipſa Soſtrata ſcenam relinquit; hic Pamphilus de narratione Parmenonis, qui ſimul et una cum Pamphilo in ſcenam ingreſſus eſt, verba querula fundit. — Sed longius, de quo certi ſimus, canticum legitur oratio Pamphili 3, 3 usque ad vſ. 48, qua de rebus ſuis conqueritur et in deliberationem venit, retineat an repudiet uxorem. Verſus ſunt troch. tetr.; admodum mixtos variosque conſtituit Bothius. — Alterum hujus fabulae canticum indicatur ab ipſo Donato 5, 3, 18 verbis: *Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur.* Eſt oratio Bacchidis laetiſſimae, quod liberaliter agens Pamphilo ejusque uxori et parentibus profuerit. Itaque cum meretrix feſtiva de ſe ipſa valde delectetur, apte in animum ejus cadit canticum, etſi plura ibi narrantur. Verſus ſunt tetr. jamb.

In Phormione,

quam fabulam in praef. Donatus ſcribit totam diverbiis facetiſſimis geſtumque deſiderantibus ſcenicum et ſuaviſſimis canticis ornatam fuiſſe, act. 1, ſc. 1 ſolus verba facit Davus, ſed tanquam narrans et exponens trimetris. — Contra canticum eſſe dixerim orationem Demiphonis 2, 1, vſſ. 1—16, iraſcentis de filii nuptiis ſe inſcio factis et ſecum deliberantis, quid filius ſit incepturus. Interjiciuntur verba Getae et Phaedriae a

sene non conspectorum, sed audientium, quae ipse loquitur. Plurimus hic necessarius erat gestus, ne breviora haec verba putes. Jambici praevalent tetr. — Act. 3, sc. 1 versibus prioribus 6 canticum non est; sunt justo pauciores; neque 4, 2 oratio Getae, utpote narrantis. — Redit vero canticum 5, 1, vss. 1 — 11 vehementius commotae Sophronae oratio, qua quid nunc faciat, admodum anxiam se ostendit. Chremes interjicit verba ab ipsa non conspectus. Versus sunt troch. et jamb. tetr. In cetera fabula cantica animadvertere non possum. Neque enim 5, 2, vss. 13 — 18 cantico satis sunt apti; sunt et pauciores et magis ad actionem ipsam pertinent.

Restat, ut paucis jam indicem, quomodo solemnia scholae nostrae natalitia celebraturi simus. Instant enim Calendae Novembres, dies ille auspicatissimus, quo ante hos CCLXXXI schola est inaugurata; qui dies ut digna solemnitate piaque memoria peragatur, hora matutina VIII festa pompa praeceptores et discipuli templum adibunt, Numini Supremo gratias acturi pro beneficiis hoc quoque anno in nos collatis, et preces facturi, ut ne posthac desit, quae hucusque nobis contigit, propitia Dei cura et clementia. Deinde hora IX iidem in auditorio majori congregati recitationes et orationes audient, quas singuli discipulorum ex omnibus classibus electi habebunt, hoc quidem ordine, ut primo prodeant ex tribus inferioribus classibus terni aliena recitantes, tunc sua declament sequentes:

Ex classe secunda superiori carmina vernaculo sermone a se composita pronuntiabunt *Raimundus Gasion Carolus de Beguelin*, Berolin., *Otto Theodorus Bollmann*, Dietfurt. et *Gustavus Adolphus de Bodenhausen*, Dresden.; tum *Ludov. Honigmann*, Mansfeld., oratione latina *agriculturam cum literarum studio* comparabit.

Ex classe prima *Carolus Scheffler*, Berolinensis, carmine latino cantabit *Conjurationem Civilis et Batavorum contra imperium Romanum*; tum *Carolus de Manteuffel*, Lubbenensis, oratione vernacula exponet, *Quid in Friderici Barbarossae vita rebusque gestis fuerit causarum, ut in monte Thuringiae, cui nomen Kiffhäuser, commoratus fuisse feratur*; denique *Bellonatus Blaubach*, Laucha-Thuringus, oratione latina ostendet, *Quibus causis effectum sit, ut sacrorum emendatio a Luthero suscepta felicem successum habuerit.*

His finitis Rector scholae evocabit e discipulis, quos studio frugifero et moribus insignes judicarunt magistri, et praemiis distribuendis finem imponet solemnitati, cui ut adesse velint Curatores scholae Illustres et omnes, qui Portae ejusque rebus favent, omni, qua par est, observantia rogamus.

Schulnachrichten.

Zu frommen Gefühlen des Dankes gegen Gott und zu freudiger Anerkennung der ernsten Bestrebungen der Höchsten Behörden, für das Wohl unserer Anstalt unablässlich zu sorgen, verpflichtet uns auch diessmahl der Rückblick auf die Vergangenheit. Auch im verflossenen Jahre erfreuete sich unsre Schule so vieler Beweise von wohlwollender und treuer Fürsorge, dass sie in ganz vorzüglichem Sinne ein sprechender Zeuge genannt werden darf von dem unermüdeten Eifer, mit dem die Höchsten Behörden alles aufbieten, um zu bewirken, dass namentlich auf Schulen durch Veredlung des Herzens und durch wahre Bildung des Geistes die Jünglinge des Vaterlandes dem Staate, in dem sie dereinst leben und wirken sollen, zum Segen, Glück und Wohl erzogen und vorbereitet werden. Möchte bey diesen erfreulichen und erhebenden Erfahrungen das frohe Gefühl nur nicht von einer andern Seite getrübt werden durch den Hinblick auf mehrere Lehrer, die theils durch Alter, theils durch andre Umstände sich veranlasst sahen, die Stellen, die sie mit Glück und Segen bekleidet hatten, freywillig niederzulegen, oder durch langwierige Krankheit in der Erfüllung ihrer Berufsarbeiten aufs traurigste unterbrochen wurden.

Der bisherige Lehrer der neuern Sprachen, Herr Prof. M. *Johann Renatus Wilhelm Beck*, ein eben so gründlicher Kenner der französischen Sprache, als ausgezeichnet durch tiefe Kenntniss im Felde des classischen Alterthums, fand sich in Folge seines herannahenden Alters bewogen um seine Entlassung zu bitten, die ihm mit ehrenvoller Anerkennung seines Werthes und Vorzüge unter Zusicherung einer angemessenen Pension bewilligt wurde. Er ging in seine Vaterstadt Leipzig zurück, wo man sofort seine ausgezeichnete Kenntniss der französischen Sprache für die Universität benutzend, ihn zum Lehrer derselben an gedachter Anstalt berief. Seine Stelle wurde bei uns ersetzt durch das Aufrücken des bisherigen Adjuncten *Carl August Koberstein* zum Professor, indem er ausser seinen bisherigen Lectionen und der hebdomadarischen Inspection noch den Unterricht im Französischen übernahm. Zugleich wurde dem zeitherigen Adjuncten D. *Christian Friedrich Neue*, um ihn und seine Wirksamkeit auf längere Zeit der Anstalt zu erhalten, von Einem Hohen Ministerio der Character eines Professors beygelegt und ihm eine Gehaltszulage bewilligt. Indem hierdurch die dritte und vierte Adjunctur erledigt war, wurde die eine dem bisherigen Hülfslehrer am grauen Kloster in Berlin, D. *Carl Heinrich August Steinhart* aus Dobbrun in der Altmark, übertragen. Er wurde feyerlich in sein Amt eingewiesen den 26. April d. J.

Was wir schon im vorigen Jahre als gewiss kommen sahen, ging in diesem in Erfüllung. Nach kurzem, noch nicht jährigem Aufenthalte unter uns schied Prof. und Diaconus, Herr *Christian Gottlob Leberecht Grossmann* wieder aus unsrer Mitte. Er folgte dem an ihn ergangenen Rufe nach Altenburg als General-Superintendent und Consistorial-Rath, und liess bey dem gesegneten Wirken schon während seines kurzen

Hierseyns den Wunsch lebendig in uns zurück, er möchte länger von der Vorsehung der Anstalt bestimmt gewesen seyn. An seine Stelle wurde zu uns gerufen *Heinrich Eduard Schmieder,* seit 1819 evangelischer Prediger bei der Königl. Preufs. Gesandtschaft in Rom. Aus weiter Ferne kehrte er in seine Pforte zurück; sie war ihm vielfach heilig und theuer, ihm, dem in ihr gebornen, erzogenen, gebildeten. Er trat sein Amt an den 19. Februar d. J.

Traurigen Sinnes, doch mit Ergebung in die Fügungen Gottes gedenken wir der langen und lebensgefährlichen Krankheit des Prof. *Schmidt,* die ihn seit Fastnachten d. J., mit Ausnahme weniger Wochen, nöthigte, die Führung seiner Amtsgeschäfte seinen Mitarbeitern an der Anstalt zu überlassen.

Ein schmerzlicher Verlust steht dem Lehrervereine in kurzem bevor, da Alterschwäche, die durch den Tod der geliebten Gattin im vergangenen Sommer zugenommen hatte, den ehrwürdigen Seelsorger unsrer Schule und Gemeinde, den Herrn Inspector M. *Christian Gottlieb John,* bestimmt hat, seine Hohen Behörden um Entlassung aus seinen Amtsverhältnissen zu bitten. Sie wurde ihm gewährt, und so steht er im Begriff, in kurzem sein Amt feyerlich niederzulegen. Was er der Anstalt war und wie die Höchsten Behörden über seine Verdienste um dieselben urtheilen, mögen die Worte bezeugen, mit denen in dem deshalb an ihn ergangenen Rescripte Eines Hohen Ministerii, Berlin den 23. Aug. 1824, seines Wirkens gedacht wird: „Nicht ohne „schmerzliche Theilnahme — will das Ministerium Ihnen gern am Abend ihres Le„bens die sorgenfreie Ruhe gönnen, auf welche Sie Sich durch Ihre vieljährige" (seit dem Juli 1800) „musterhafte Amtsführung im Dienste des Staats und der Kirche so „gegründete Ansprüche erworben haben." Indem ihm in Pforte noch fernerhin zu wohnen in demselben Hohen Rescripte verstattet wird, heifst es dort weiter: „So ver„bleiben Sie der Anstalt, wo Sie so manchen Jüngling durch Ihren frommen Wandel „und Ihre christliche Lehre für die Sache des Erlösers gewonnen haben, und werden „auch noch fernerhin den dortigen Lehrern milde und bescheiden, wie Sie pflegen, „als ein älterer, vielfach geprüfter und wohl bewährter Freund hülfreich zur Seite „stehen, und den dortigen Zöglingen als ein Muster christlichen Glaubens und Lebens, „wenn auch nicht mehr als Vorstand, doch als Vorbild, wohlthätig vorleuchten kön„nen. Dadurch werden Sie einen angelegentlichen Wunsch des Ministerii erfüllen, — „dafs unter den dortigen Zöglingen neben der wissenschaftlichen Bildung je länger, je „mehr auch eine wahrhaft christliche Gesinnung und ein derselben entsprechender „frommer Lebenswandel begründet und befestigt werden möge."

Da durch diesen Austritt des Herrn Inspector *John* aus seinem Amte die eine der beiden Predigerstellen erlediget wird, so wurde bereits im September von Einem Hohen Ministerio der zeitherige Licentiat und Privatdocent der Theologie bey der Universität in Berlin, *Carl Heinrich Bresler* aus Brieg in Schlesien, als Professor und Prediger hieher berufen und den 1. October nach herkömmlicher Sitte feyerlich in sein Amt eingeführt.

Da unter den beiden obwaltenden Umständen, bey dem Austritte des Herrn Inspector *John* aus seinem Berufe und bey der fortwährenden Krankheit des Prof. *Schmidt,* mehrere Veränderungen in den Lectionen und in den Stellungen der einzelnen Lehrer für dieselben Einem Hohen Ministerio zweckmäfsig zu seyn schienen, so wurde uns

auch in diesem Jahre das Glück zu Theil, den Herrn Geheimen Ober-Regierungsrath zu Berlin, Dr. *Johannes Schulze,* auf mehrere Tage, vom 5. bis zum 13. Sept. in unsern Mauern zu besitzen. Auch bey Seiner diefsmaligen Anwesenheit blieb keine der Hoffnungen unerfüllt, mit denen wir seiner Ankunft froh entgegensahen. Auch jetzt wieder erhielten wir die erfreulichsten Beweise von Seiner wohlwollenden Güte, von seiner schonenden Milde, von seinem den Lehrer, wie den Schüler begeisternden Eifer für die gute Sache, von seiner alles beachtenden und streng prüfenden Umsicht. Möchte Gott noch lange diesen Mann dem Vaterlande erhalten! möchte er auch fernerhin wohlwollend gegen unsre Anstalt gesinnt bleiben! möchte es namentlich uns gelingen, seinen Wünschen und Absichten überall zu entsprechen!

Unter seiner eben so weisen, als edlen und erhebenden Leitung wurden mehrere Veränderungen festgestellt theils im Lections-Plane, zunächst für das bevorstehende Winterhalbjahr, in Hinsicht der Uebernahme der einzelnen Lectionen durch die Lehrer, theils in der Verwaltung der kirchlichen Geschäfte durch die beiden Prediger, Prof. *Schmieder* und *Bresler,* theils in andern Gegenständen, die mit dem Wohle der Anstalt näher und entfernter in Berührung standen. So übernahm die Pfarr- und Inspectorats-Geschäfte in der Gemeinde Pforte und Kösen, wie auch den Religions-Unterricht in 3 verschiednen Classen, Prof. *Schmieder,* der dafür der Verpflichtung, Classen-Lehrer zu seyn und die hebdomadarische Inspection zu führen, überhoben wurde; was beides auf den Prof. und Prediger *Bresler* überging. Die Predigten Sonntags Vor- und Nachmittags sind unter beide so getheilt, dafs in wechselnder Ordnung jeder Vor- und Nachmittags predigt.

In Ermangelung eines passenden Locals, waren die Gypsabdrücke von Antiken, welche die Anstalt längere Zeit schon besafs, zeither noch immer in den Kisten verschlossen geblieben, in denen sie der Schule zugeschickt wurden, so wie auch die ihnen beygeschlossenen bedeutenden Sammlungen von Münzen und Gemmen-Abdrücken. Auf Anordnung und durch Veranstaltung des Herrn Geheimen Ober-Regierungsraths Dr. *Schulze,* der auch sofort den gröfsern Theil, die Büsten, die Münzen und die Gemmen, auspacken liefs, wird in kurzem für einstweilige Aufstellung dieser Kunstschätze ein gröfseres Zimmer in der ehemaligen Wohnung des Prof. *Lange* eingerichtet.

Um die Feyer des Geburtstags Seiner Majestät unsers Königs zu verherrlichen, hielt Prof. und Diaconus *Schmieder* in diesem Jahre die lateinische Rede über das Thema: *De solemnibus in re divina formulis minime contemnendis.*

Noch werde hier erwähnt die alte ehrwürdige Sitte unsrer Pforte, mit der ihren ehemaligen Zöglingen, von deren Tode sichere Nachricht hieher gelangt, im stillen Abendgebet, im Sinne treuen Andenkens an den Dahingeschiedenen ein feyerliches *Ecce, quomodo moritur justus* gesungen wird. Diese fromme Sitte wurde vor einigen Jahren zweckmäfsiger und zur gröfsern Bedeutsamkeit für die Feyernden eingerichtet, und so wurde auch in diesem Jahre das *Ecce* für mehrere ehemalige Pförtner gesungen. Ihre Namen und die Jahre, in denen sie in Pforte gebildet wurden, sind folgende: *Wilhelm Friedrich Heindorf,* Studios. Philologiae in Berlin (1816 — 1819), *Otto August Dietrich,* Studios. Theologiae in Halle (1818 — 1822), *Carl Eduard Scholl* (1819 — 1822), M. *Friedrich August Wilhelm Spohn,* Professor in Leipzig (1804 — 1810), Dr. *Christian Gottlieb Kluge,* Pastor an der S. Afra-Schule in Meissen

(1756 — 1762), *Carl Wilhelm-Slevoigt*, K. S. Lieutenant a. D. (1765 — 1771), M. *Adolph Auguſt Gottlieb Wipprecht*, Superintendent in Heldrungen (1769 — 1774), M. *Ernſt Adolph Richter*, Superintendent in Jeſſen (1803 — 1808), *Leo v. Könneritz*, Aſſeſſor in der Landesregierung in Dresden (1810 — 1815), und *Ernſt Conſtantin Herbſt*, früher Rentmeiſter, ſpäter Commiſſions-Rath in Pforte, welcher, obſchon kein ehemaliger Zögling unſrer Schule, wegen der treuen Dienſte, die er ſeit 1782, 41 Jahre hindurch, der Anſtalt geleiſtet hatte, mit dem gerechteſten Anſpruche auf unſer aller Andenken rechnen durfte.

In Folge der häufigen Klagen von den Eltern unſrer Zöglinge, ſie würden, wenn ſie von hier aus in Naumburg die Bedürfniſſe in der Bekleidung für ihre Kinder beſorgen lieſsen, mit den Preiſen für Tuch, für Schneider- und Schuhmacher-Arbeit übertheuert, iſt auf Anordnung der Hohen Behörden die Einrichtung getroffen worden, daſs für Tuchlieferung nur Ein Kaufmann, und für Fertigung der Bekleidungsſtücke nur Ein Schneider und Ein Schuhmacher für die Schule angenommen wurde, mit denen unter Feſtſtellung der billigſten Preiſe für möglichſt beſte Waare förmlich abgeſchloſſen worden iſt.

Von den Zöglingen, die im Laufe dieſes Jahres nach beſtandnem Abiturienten-Examen von hier auf die Univerſität abgegangen ſind, giebt folgendes die Ueberſicht:

Zu Oſtern

	mit dem Zeugniſs	ging nach	um zu ſtudiren
Guſtav Lauter	IIa	Leipzig	Jurisprudenz.
Anton Wilhelm Hermann	IIa	Leipzig	Theologie.
Eberhard Wilhelm Friedrich Wittel	I	Leipzig	Theologie.
Ernſt Theodor Echtermeyer	I	Halle	Jurisprudenz.
Moritz Conrad Beſſer	IIa	Göttingen	Jurisprudenz.
Bernhard Albert Töpelmann	I	Halle	Theologie.
Guſtav Adolph Harraſſowitz	I	Halle	Jurisprudenz.
Eduard Rühlmann	IIa	Halle	Theologie.
Carl Eſchwin Albert v. Holleufer	I	Leipzig	Jurisprudenz.
Friedrich Moritz Langerhans	IIb	Berlin	Jurisprudenz.
Wilhelm Auguſt Hunger	IIa	Leipzig	Jurisprudenz.
Guſtav Niemann	IIb	Halle	Jurisprudenz.
Carl Julius Clarus	IIb	Leipzig	Medicin.

Zu Michael

	mit dem Zeugniſs	ging nach	um zu ſtudiren
Otto Theodor v. Manteuffel	I	Halle	Jurisprudenz.
Franz Wilhelm Däſch	IIb	Halle	Theologie.
Carl Wilhelm Ludwig Samuel v. Berger	I	Göttingen	Jurisprudenz.
Friedrich Auguſt Leopold Demelius	IIa	Leipzig	Theologie.
Friedrich Robert Kraft	IIb	Leipzig	Theologie.
Rudolph Ferdinand Boots	IIa	Halle	Jurisprudenz.
Ferdinand Jänichen	IIb	Halle	Theologie.
Heinrich Moritz Eduard Weiſse	IIb	Berlin	Theologie.

Verzeichniſs der gegenwärtigen Alumnen und Extraneer.

Claſſis prima.

Ordo I.

Bellonatus Blaubach, Inſpector, Famulus Dr. Jacob, aus Laucha.
Heinrich Rummel, Inſp., Fam. Prof. Jacobi, aus Lauchſtädt.
Carl v. Manteuffel, Inſp., Fam. Prof. Koberſtein, aus Lübben.
Guido v. Uſedom, Extr. Prof. Lange, aus Hechingen.
Carl Kabrun, Extr. Prof. Lange, aus Danzig.
Carl Scheffler, Inſp. Fam. Adj. Schulze, aus Berlin.
Ferdinand Schmidt, Inſp., Fam. Prof. Neue, aus Ermsleben.
Eduard Walter, Inſp., Fam. Prof. Schmieder, aus Heldrungen.
Julius Lauter, Inſp., Fam. Prof. Bresler, aus Wittenberg.
Moritz Fritzſche, Inſp., aus Stöntzſch bei Pegau.
Curt v. Manteuffel, Inſp., aus Canig bei Guben.
Auguſt Michaelis, Inſp. Praecentor, aus Dresden.
Eduard Weiſe, Inſp., aus Annaburg.
Carl Kitzing, Inſp., aus Brehna.
Conſtantin Wiedemann, aus Eckartsberga.
Auguſt Ludwig, Fam. Adj. Steinhardt, aus Dresden.
Moritz Ortlepp, aus Droyſig bei Zeitz.
Alexander Hommel, Fam. Prof. Schmidt, aus Erfurt.
Hermann Beſſer, aus Zeitz.
Gottwerth Schmiedt, aus Bitterfeld.
Guſtav Schuſter, aus Senftenberg.
Franz Goſsrau, aus Naumburg.
Robert Knapp, aus Leipzig.
Adolph Hempel, aus Oſterfeld.
Theodor Hartung, aus Thamsbrück.
Hermann Bretſchneider, aus Naumburg.
Wilhelm Finzelberg, aus Sernow bei Jüterbogk.
Wilhelm Zarnack, Fam. CR. D. Ilgen, aus Beeskow.

Ordo II.

Louis Hornemann, Fam. Prof. Wolff, aus Guben.
Albert Weidemann, aus Rehmsdorf bei Zeitz.
Eduard Göhring, aus Eisleben.
Carl Löw, aus Eisleben.
Auguſt Horn, aus Günſtädt bei Weiſsenſee.
Carl Wallmüller, Fam. Prof. Lange, aus Berlin.
Friedrich Bromme, aus Schaafſtädt bei Merſeburg.
Caspar Langheim, Extr. Dr. Ilgen, aus Hadersleben im Herzogthume Schleswig.

36

Claſſis ſecunda ſuperior.

Ordo I.

Ludwig Honigmann, aus Mansfeld.
Friedrich Seeligmüller, aus Langenſalza.
Eduard Walther, aus Dothen bei Eiſenberg.
Gottlieb Ebermann, aus Prettin.
Robert Liebaldt, aus Naumburg a. d. Saale.
Curt Schmidt, aus Roſsla am Harz.
Hermann Roller, aus Pforta.
Guſtav Uliſch, aus Dennewitz bei Jüterbogk.
Eduard Schmidt, aus Schladebach bei Merſeburg.
Heinrich Buchrucker, aus Sandersleben.
Eduard Schenk, aus Stolzenhain bei Herzberg.

Gustav Besser, aus Zeitz.
Hermann Schwarz, aus Dresden.
Maximilian Franke, aus Langensalza.
Carl Peter, aus Freiburg.
Wilhelm Schürer, aus Plauen im Voigtlande.
Gottlieb Wassermann, aus Wittenberg.
Ludwig Weidlich, aus Kriegsstädt.
Arnold Matthäi, Extr. D. Ilgen aus Triebsees in Neu-Pommern.
Adolph Wachs, aus Merseburg.
Eduard Hirt, aus Langensalza.
Ludwig Melzer, aus Berlin.

Ordo II.

Ernst Noack, aus Müncheberg.
Carl Meyer, aus Berlin.
Friedrich Trebst, aus Naumburg.
Gustav v. Bodenhausen, aus Dresden.
Georg Patzschke, aus Naumburg.
Theodor Rhäsa, aus Sangerhausen.
Emil Güntz, aus Wurzen.
Ludwig Knauff, aus Rathenow.
Robert v. Oertzen, aus Horno bei Spremberg.
Carl v. Spiegel, aus Weimar.
Friedrich Voigt, aus Torgau.
Eduard Strassberger, aus Leipzig.
Wilhelm Behnke, Extr. Prof. Lange, aus Nienburg.
Gustav Möbius, aus Zeitz.
Carl Pezold, aus Scortleben bei Weissenfels.
Julius Ebert, aus Neuruppin.
Ferdinand Schröer, aus Belgern.
Julius Bieler, aus Schortewitz bei Halle, Extran. Prof. Jacobi.
Otto Bollmann, aus Dittfurt bei Quedlinburg.
Raymund v. Beguelin, aus Berlin.

42

Classis secunda inferior.

Ordo I.

Julius Seeburg, aus Zörbig.
Carl Seyferth, aus Langensalza.
Emil Döllen, aus Königs-Wusterhausen bei Berlin.
Julius Schaufuss, aus Reichardswerben bei Weissenfels.
Gottfried v. Pappenheim, Extr. Oldendorp, aus Weimar.
Berthold Knauth, aus Leipzig.
Theodor Balzer, aus Hohenleine bei Leipzig.
Carl Thiele, aus Stollberg am Harz.
Carl Keil, aus Weissenfels.
Theodor Oertel, aus Grosswelsbach bei Langensalza.
Gustav Held, aus Liebenwerda.
Adolf Lange, aus Pforta.
Theodor Olberg, aus Acken an der Elbe.
Eduard Becker, aus Schloss-Heldrungen.
Julius Ideler, aus Berlin.
Ludwig Stutzbach, aus Wiehe.
Moritz Thümmel, aus Weissenfels.
Robert Trescher, aus Wittenberg.
Ernst Schulze, aus Gröningen.

Ordo II.

Hermann Liebaldt, aus Naumburg.
August Schaum, aus Lauchstädt.
Ferdinand Buttmann, aus Berlin.
Hermann Stern, aus Zahna.
Adolph Lieberkühn, aus Wallhausen bei Sangerhausen.
Carl Bonitz, aus Langensalza.
Hermann Eggert, aus Querfurt.
Franz Rothe, aus Weissensee.
Carl v. Gärtner, aus Brieg.
Richard v. Rochow, aus Dresden.
Rudolph Weidemann, aus Rehmsdorf bei Zeitz.
Heinrich Sonnenkalb, aus Schaafstädt bei Merseburg.
Adolph Hüllmann, aus Marienburg in Westpreussen.
Friedrich v. Clausewitz, aus Graudenz.
Alexander Sande, aus Königsberg.
Carl Lamprecht, aus Ortrand.
Curt Graf v. Hahn, Extr. Prof. Lange, aus Remplin.
Carl Tischmeier, aus Templin.
August Meister, aus Kirchheilingen bei Langensalza.
Friedrich Gross, aus Kemberg bei Wittenberg.
Agathon Wunderlich, aus Göttingen.

40

Classis tertia superior.

Ordo I.

Carl v. Jeetze, aus Brandstein.
Theodor Stollberg, aus Berlin.
Friedrich Eichler, aus Burgliebenau bei Merseburg.
Robert Stern, aus Zahna.
Rudolph Merkel, aus Düben.
Richard Lepsius, aus Naumburg a. d. Saale.
Hermann Döhlert, aus Pforta.
Friedrich Stedtefeld, aus Langensalza.
Adolph Ortlepp, aus Schkölen.
Ludwig v. Oppen, aus Brandenburg.
Bernhard Manitius, aus Rakith bei Wittenberg.
Wilhelm Gossrau, aus Naumburg a. d. Saale.
Eduard Naumann, aus Rathenow.
Ernst v. Manteuffel, aus Lübben.
Franz Dietrich, aus Strauch bei Grossenhain.
Carl Keil, aus Weissenfels.
Ferdinand Timmel, aus Kölleda.
Heinrich Meyer, aus Grossstreben bei Torgau.
Hermann Ziegert, aus Bergwitz bei Wittenberg.
Otto Göschen, Extr. Prof. Jacobi, aus Berlin.

Ordo II.

Hermann v. Stuckradt, aus Ober-Urff bei Cassel.
Albert Borsche, aus Stargard in Pommern.
Hermann Thebesius, Extr. CR. D. Ilgen, aus Magdeburg.
Ludwig Geissler, aus Atterwasch bei Guben.
Carl Besser, aus Zeitz.
Friedrich Lauhn, aus Stössen.
Justin v. Motz, aus Wisbaden.
Rudolph v. Katte, aus Silmersdorf bei Rathenow.
Adolph v. Türk, aus Yverdün.
Julius v. Türk, aus Yverdün.
Heinrich v. Brück, aus Wittenberg.
Bernhard v. Bülow, Extr. Prof. Koberstein, aus Güstrow.
Moritz Hülsen, aus Kotzen bei Rathenow.
Robert Regel, aus Torgau.
Julius Schreyer, aus Naumburg.
Georg v. Römer, Extr. CR. Dr. Ilgen, aus Naumburg.
Wilhelm Ackelbein, aus Salzgitter.
Hermann Scheffler, aus Liegnitz.
August Ziegert, aus Gräfenhainichen.
Emil Suchsland, aus Langensalza.
Gustav Kolbe, Extr. Prof. Koberstein, aus Berlin.
Gustav Steyer, aus Zeitz.
Hermann v. Werthern, aus Brücken bei Wallhausen.
August v. Manteuffel, aus Lübben.
Wilhelm Behn, Ertr. Prof. Lange, aus Kiel.

45

Classis tertia inferior.

Bruno Echtermaier, aus Liebenwerda.
Eduard Hofmeister, aus Langendorf bei Weissenfels.
Hermann Wachs, aus Merseburg.
Theodor v. Pfannenberg, aus Leipzig.
Wilhelm Schönborn, aus Meseritz.
Hilmar v. Münchhausen, aus Baireuth.
Hans Buddensieg, aus Gatterstädt bei Querfurt.
Eduard Teichmann, aus Pforta.
Hugo Ensmann, aus Eckartsberga.
Oskar Hesster, aus Jüterbogk.
Wilhelm Habel, Extr. Adj. Schulze, aus Berlin.
Wilhelm Trillhose, aus Lindau bei Eisenberg.
Eduard v. Schlegell, aus Magdeburg.
Julius Purruckherr, Extr. CR. Dr. Ilgen, aus Altenburg.
Traugott Müller, aus Marzahna bei Wittenberg.
Theodor Neubert, aus Frohndorf bei Erfurt.
Constantin Leiste, aus Teicha bei Halle.
Wilhelm Wittig, aus Bremen.
Joseph Thiele, aus Stollberg am Harz.
Hugo Schreyer, aus Naumburg a. d. Saale.
Guido v. Madai, aus Halle.
Theodor Adler, aus Kistritz bei Stössen.
Friedrich Diepenbroick v. Grüter, aus Mark bei Osnabrück.
Franz v. Borries, aus Unna.
Philipp Matthies, aus Hildesheim.
Eduard Uebrig, Extr. Prof. Lange, aus Mechelgrün bei Plauen im Voigtlande.
Louis Wachsmuth, aus Delitzsch.
Eduard Dillner, aus Weissenfels.
Friedrich Wirth, aus Kistritz bei Stössen.

29

CANTICA APUD PLAUTUM

(ex edit. Taubmanni).

In Amphitruone

1, 1, 1—21
1, 1, 146—179 (?)
2, 2, 1—22
5, 1, 1—19.

In Afinaria

1, 2, 1—24
2, 1.

In Aulularia

3, 1
4, 1
4, 9.

In Captivis

3, 2
3, 3
4, 1
4, 3
4, 4.

In Curculione

cantica non effe videntur.

In Cafina

2, 3, 1—12 (?)
5, 2, 1—16
5, 3, 1—13.

Plurima quod fupra fcripfi in Cafina effe cantica, me invito factum eft ex eo, quod plura cantica prius hac in fabula inveniri ftatueram.

In Ciftellaria

2, 1, 1—15
4, 2, 1—23

In Epidico

1, 1, 75—91 (?)

In Bacchidibus

3, 1
3, 2
4, 3, 1—11
4, 9, 1—53
5, 1, 1—17

In Moftellaria

1, 2
3, 2, 1—22
4, 1.

In Menaechmis

3, 1
4, 2, 1—19
5, 2, 1—14
5, 6, 1—27.

In Milite Gloriofo

cantica non effe videntur.

In Mercatore

2, 3
5, 1 cum 5, 2, 1—24.

In Pfeudolo

2, 1, 1—17
2, 3, 1—20
4, 7, 1—21
5, 1.

In Poenulo de omnibus, quae cantica effe videantur, dubitari poffe fupra oftendi.

In Perfa

2, 3.

In Rudente

1, 3
4, 2.

In Sticho

2, 2, 1—42.

In Trinummo

2, 1
4, 1
4, 3, 1—50.

In Truculento

1, 2, 1—16 (?)
2, 1 (?)

CANTICA APUD TERENTIUM

(ex edit. Bentleji).

In Andria

1, 5
4, 1, 1—17.

In Eunucho

2, 2, 1—35
2, 3, 1—11 (?)
3, 5, 1—8
4, 1 (?)
5, 4, 1—18.

In Heautontimorumeno

2, 1
4, 2.

In Adelphis

1, 1, 3—52 (?)
2, 1, 42—54
3, 2, 1—21
4, 4
5, 4.

In Hecyra

3, 3, 1—48
5, 3, 18—42.

In Phormione

2, 1, 1—16
5, 1, 1—11.

Nota. **Das Fragzeichen in Klammern (?) ift das Zeichen, dafs dies und jenes Canticum ungewifs fey.**